



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus XIX. De Usuris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

suspendendus est, vel deponendus perpetuò, nisi Episcopus cum eo dispenser: quod facere potest in adulteriis, & aliis minoribus criminibus. Nec hoc repugnat doctrinæ, quam nuper tradidimus, videlicet in irregularitate ex infamia juris proveniente tantum Romanum Pontificem dispensare posse. Nam id intelligitur de immediata irregularitatis dispensatione, non verò de indirecta, quam potest facere Episcopus dispensando directè in delicto: quo facto accessoriè tollitur infamia proveniens ex delicto tali, & per consequens irregularitas. Docuerunt Villadiego *de irregul. cap. 10.* Henriquez *in summa lib. 2. cap. 3. num. 3.*

4 Unde jam apparet vera ratio præsentis textus, quare in præsentis specie is, qui calicem in Ecclesia minus cautè dimissura surripit, possit ad sacros ordines promoveri, quæ in eo consistit, nam furtum hoc fuit occultum, & ita fur non

fuit infamiâ juris notatus, & ipse pœnitentiam de crimine egit: ac pro calice subrepto satisfacit: quibus existentibus circumstantiis, si aliàs idoneus esset, cessat irregularitas, ut docuerunt in præsentis Anania *num. 1.* Abbas *num. 5.* Socinus *num. 5.* Nec contrarium probant illa verba præsentis textus, *sponse confessus*; ex quibus deducitur, per confessionem ipsius furis furtum hoc notorium factum fuisse; propter furtum autem notorium juris infamia incurritur, *d. l. poterit*: quæ per pœnitentiam tolli non potest, juxta supra tradita. Nam respondendum est, confessionem, de qua in præsentis, non fuisse factam in judicio, sed in foro pœnitentiæ; ideoque per eam furtum notorium factum fuisse, & per consequens juris infamiam non irrogari, ut docuerunt hic Ancharanus *num. 4.* Abbas *num. 3.*

## TITULUS XIX.

### De Usuris.

#### CAPUT I.

Alexand. III. *in Concilio<sup>a</sup> Turonensi.*

**U**RES clericorum, & quod mœrentes dicimus, eorum quoque, qui præsens sæculum professione vocis, & habitu reliquerunt, à canonibus usuras quasi manifestius damnatas exercentes, commodatâ pecuniâ indigentibus, possessiones eorum in pignus accipiunt, & provenientes fructus percipiunt ultra sortem. Idcirco generalis Concilii decernit authoritas, ut nullus amodò constitutus in Clero, vel hoc, vel aliud genus usuræ exercere præsumat: & si aliquis alicujus possessionem datâ pecuniâ sub hac specie in pignus accepit, si sortem suam deductis expensis, de fructibus jam perceperit, absolute possessionem restituat debitori: si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio liberè ad Dominum revertatur. Quod si post hujusmodi constituta in clero quisquam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat, ecclesiastici officii periculum<sup>c</sup> patiatur, nisi fortè beneficium Ecclesiæ fuerit, quod<sup>d</sup> redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.

#### NOTÆ.

I. <sup>a</sup> *Turonensi.* ) ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & post Concil. Lateran. p. 16. *cap. 2.* addendumque est *can. 2.* juxta Corjolanum *in summa Concil. fol. 524.* de hoc Concilio jam nonnulla notavi *in c. majorib. 3. de præb.*

b *Et habitu.* ) Monachi videlicet.  
c *Patiatur.* ) De pœna clerici usurarii agemus *infra in cap. præterea.*  
d *Redimendum.* ) De hac altariorum redemptione egi *in cap. quisquis, de elect.* & commentarium hujus textus dedi *in cap. cum contra, de pignoribus.*

#### CAPUT II.

Idem<sup>a</sup> *Cantuar. Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis.*

**Q**uoniam non solum viris ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis periculosum est usurarum lucris intendere, auctoritate tibi præsentium duximus injungendum, ut liceat tibi clericos tuos, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignus noscuntur, sortem suam, deductis expensis inde jam receperunt, ad eadem pignora restituenda sine exactione, ecclesiasticâ districtione compellere.

#### NOTÆ.

## NOTÆ.

**C**Antuariensis.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. & post

Concil. Later. p. 16. cap. 3. De Cantuariensi Metropoli egi in cap. 2. de rescriptis. & textum hunc exposui in cap. cum contra, de pignor.

## CAPUT III.

Ex Concilio<sup>a</sup> Lateran.

**Q**uia in omnibus ferè locis ita crimen usurarum invaluit, ut multis aliis negotiis prætermisissis, quasi licitè usuras exerceant, & qualiter utriusque Testamenti paginâ condemnentur, non attendant: Ideo constitutum, ut usurarii<sup>b</sup> manifesti, nec ad<sup>c</sup> communionem admittantur altaris, nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant<sup>d</sup> sepulturam: sed nec<sup>e</sup> oblationes eorum quispiam accipiat. Qui autem acceperit, aut christianam tradiderit sepulturæ; & ea quæ accepit, reddere compellatur; & donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciatur, ab officii sui maneat executione suspensus.

## NOTÆ.

**L**ateranensis.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & extat textus hic in ipso Concilio generali Lateranensi celebrato sub Alexandro III. cap. 25. De quo Concilio nonnulla adduxi in cap. nonnulli, de rescriptis.

**1.** **M**anifesti.) Manifesti usurarii dicuntur primò, qui ita palam usuras exercent, ut ipsa operis iniquitas eos usurarios publicè demonstrat, & nullâ tergiversatione possit celari eos usurariam artem exercere, juxta textum in cap. evidentiâ, & ibi tradita, de accusat. Secundò etiam dicuntur manifesti, qui in judicio confessi sunt crimen usura; talis enim confessio in jure facta rem facit manifestam, & notoriam, cap. vestra, cap. final. ubi probavi de cohabit. cleric. immò ob delicti detestationem, si usurarius coram pluribus testibus fide dignis fateatur se usurarium esse, præcipuè si exprimat personas à quibus usuras accepit, manifestus usurarius dicitur, ut pluribus congestis probat Caballos tom. 1. qu. 11. & qu. 537. num. 5. Dicuntur etiam usurarii manifesti, qui sententiâ judicis ita declarati sunt. Glossa verbo manifestos, cap. 1. hoc tit in 6. quia judicis sententia rem facit notoriam, cap. final. de cohabit. cleric. Unde non dicitur manifestus usurarius ille, contra quem extat legitima testium probatio asserentium, usurarium esse, ut ultra repetentes in præsentì docent Covarr. lib. 3. var. cap. 3. nu. 4. Jul. Clarus §. usura, Gibalinus lib. 1. de usuris, cap. 11. art. 1. Menochius de arbit. casu 235. Villaguth. de usur. qu. 35. Gutierrez. lib. 2. canonic. cap. 19. Molina de justit. 2. tom. disput. 333. Lessius de iust. lib. 2. cap. 20. disput. 22. Canisius de usur. cap. 7. num. 2. Ex quibus illud notandum est, non esse necessarium, ut quis manifestus usurarius dicatur, quod exercuerit manifestas usuras, vel claras; sed satis esse, quod palliatas, vel manifestas, quascunque scilicet, vel cujusvis generis usuras uno ex dictis modis exercuerit.

**2.** **C**ommunionem.) Hanc pœnam Innocentius in præsentì num. 1. ita exponit: *Ut usurarii non admittantur ad communionem Eucharisticam.* Quem sequitur Covarr. lib. 3. variat. cap. 3. num. 5. quæ est vera interpretatio. Nec audiendi sunt Abbas antiquus, & Panormit. in præsentì, nu. 2. qui ea verba explicant, ut non admittantur in Eccle-

sia, quandiu divina officia celebrantur. Nam si de hac excommunicatione sensissent Patres Concilii, frustra adderent verba illa *accipiant sepulturam. sed nec oblationes;* cum jam in præsentì pœna hæc comprehenderetur.

**d** Sepulturam.) Consonant textus in cap. cum tu 5. cap. cum in diocesi, hoc tit. cap. quamquam, eod. tit. in 6. clement. 1. eod. tit. l. 9. tit. 13. p. 1. & meritò hæc pœna imponitur usurariis manifestis, quia decedentibus in peccato notorio denegatur ecclesiastica sepultura, cap. final. 13. q. 2. c. final. 88. dist. cap. placuit 23. q. 5. cap. 1. de torneam. cap. 2. de raptor. cap. super quodam, cap. cum ad monasterium, de statu monach. D. Joan. Vela de delict. cap. final. num. 20. Ab hac autem pœna, & reliquis exculabitur usurarius, quem pœnituit, & propter notam omnibus paupertatem restituere non valet; tunc enim præstitâ juratoriâ cautione exculatur, dist. cap. cum tu, hoc tit. d. cap. quamquam, ibi: *Pro suarum viribus facultatum.* Pluribus relatis docet Villaguth d. q. 35. de usur. conclus. 6.

**e** Oblationes.) Consonat D. Clemens lib. 4. constit. cap. 5. nam cum oblationes in propitiationem pro peccatis offerantur, ut constat in cap. 5. & 13. Deuteronom. cap. quia sacerdotes, cap. Sanctorum 10. q. 1. ab usurario manifesto, & à peccato non recedente, sed in eo permanente non debent admitti, cap. oblationes, 96. dist. Accedit quia per hujusmodi oblationes profitebatur quædam commune inter vivos, & defunctos, pro quibus offerbantur. Concil. Arelat. 2. can. 12. Concil. Valente 1. can. 2. Anastasiodor. can. 17. Aurel. 2. can. 15. Tolet. 11. can. 12. Quare generaliter eorum, qui non communicant, oblationes rejiciuntur, cap. 28. Concil. Illiber. ubi notavi: & eorum qui in peccata graviora lapsi sunt, veluti qui sibi mortem consciverunt, d. can. 17. Concilii Anastasiodor. Aurelian. 2. can. 15. qui filios suos hæreticis baptizandos tradiderunt. Concil. Illerdense can. 13. oppressores pauperum. Concil. Carthag. 4. can. 93. & 94. & alii, de quibus Suarez de relig. tom. 1. lib. 1. cap. 6. num. 4. Albalpineus lib. 1. observ. cap. 5. & 6. Lemaitre de bonis Eccles. 2. p. lib. 1. de decimis, cap. 15. Theoph. Raynaud. de litter. monit. p. 2. cap. 2. num. 22. Spondanus de cemeter. p. 1. l. 4. cap. 4. ex nu. 3. quia juxta Ecclesiasticum c. 34. vers. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.*

COM.

## COMMENTARIUM.

5. **EX** hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Manifesti usurarii, sive clerici, sive laici, à communione Ecclesie repelluntur.* Probat eam textus in cap. final. 46. dist. cap. 1. & per totam 47. dist. cap. 1. & per totam 14. q. 4. cap. unic. 15. qu. 2. cap. 1. & per totum, hoc tit. cap. 1. cap. quamquam. eod. tit. lib. 6. Clement. 1. & 2. hoc tit. cap. 2. de vita & honest. cleric. cap. inter, de excessibus Pralat. can. 44. Apostol. Gregorius VII. in Synodo Romana, can. 16. Usurarii, & qui tenent pignus, postquam inde habent, quod prestaverunt, excommunicantur. Innocentius II. in Synodo Romana can. 13. insatiabilem feneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni ecclesiastica consolatione sequestramus. Meldense can. 55. Ut Episcopi seipos, atque ministros suos, & maxime ecclesiasticos, cunctosque Christianos in sua parochia, perpendentes ex hoc statuta Niceni Concilii, & ceterorum Conciliorum, ab usuris sine excusatione compefcant; & quos compefcere aliter non potuerint, canonicam in eos sententiam proferant. Valentino sub Lothario can. 10. usurarum turpia lucra canonica severitate inhibemus. Illiberit. can. 20. Arelat. 1. can. 12. Arelat. 2. can. 14. Aquilgran. can. 61. Agathense can. 69. Aurel. 3. can. 23. Carthag. 1. can. 13. Carthag. 4. can. 67. Laodic. can. 2. Mogunt. sub Carolo can. 10. Rhemensis can. 32. Tarracon. can. 10. Trofleit. can. 15. Turon. can. 10. alia juris testimonia congesterunt Ant. Augustin. in epit. jur. lib. 35. tit. 6. Cresperius in summa, verbo Usura. Illustrant ultra congestos à Barbofa in presenti, Petrus Gregor. lib. 3. partit. tit. 5. cap. 5. & in tract. de usur. Tapia tom. 2. lib. 5. cap. 17. ex art. 3. Prado tom. 2. Theolog. moral. cap. 28. Acunna in cap. Presbyter, 50. dist. Fontanel. decis. 210. Pineda de rebus Salomonis, lib. 6. cap. 20. num. 14. Fragofo de regim. Christ. Reipub. p. 1. lib. 2. disput. 4. §. 21. Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. cap. 39. & 40. Balsamon. in can. 17. Concilii Niceni. Corjolanus in can. 44. Apost. Binsfeld. in presenti. Scribentes de usuris, & novissime Lothardus & Gibalinus, Hurtado de vero marty. resol. 70. §. 2. Rouffel. lib. 6. Histor. Pontif. jurisdict. cap. 3. Mancinus lib. 1. de triplici jur. collat. cap. 13. & 226. Murga tom. 2. disquisit. 14. per totam. Selden. lib. 6. de jure natur. Hebr. cap. 10.

6. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti consideratione. Omni jure, tam naturali, divino, quam positivo, usurae permiffæ sunt: igitur eas accipientes puniri non debent. Jure naturali usuras permitti, constat; nam jus hoc dicitur hominum commercia, & societates conservari, sine quibus Respublica vix servari potest: auctor est Cicero lib. 7. de legibus. Sed major pars humani commercii consistit in usuris exigendis, leg. l. 40. ff. de rebus creditis. Ergo usurae juri naturali consonæ sunt. Accedit, nam quid naturali rationi magis congruum est, quam ut qui mercedem recipit, gratificetur, l. sed si 25. §. consuluit, ff. de petit. heredit. l. 6. ff. de serv. exportand. Oualdus lib. 17. Donelli, cap. 2. Ergo qui pecuniam mutuavit, justè ob remunerationem usuras exigit. Jure divino, tam legis veteris, quam novæ usuras indistinctè improbatas non esse, constat ex cap. 23. Deuteron. ibi: Non feneratoris fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno: fratri autem tuo absq. usura id quod indiget, commodabis, Et in eodem libro, cap. 15. ibi: Foe-

neraberis gentibus multis, & ipse à nullo scenus accipies. Ex quibus, & aliis locis congestis à Villaguth. de usur. q. 4. ipse probat usuras non fuisse indistinctè prohibitas in lege veteri, sed tantum prohibitum fuisse Hebræis, ut inter se ad invicem usuras exererent, non autem ut gentilibus, & exteris nationibus mutuarent sub usuris: quod probatur ex cap. final. 14. q. 4. Lege gratiæ usuras approbatas fuisse, constat ex cap. 19. Luca, ibi: Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usuris utique exigissem illam. Et cap. 25. Matthæi, ibi: Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens recepissem utiq. quod meum est cum usura. In quibus locis expresse Dominus servum increpat, qui pecuniam sibi commissam non dedit ad usuram; qui sanè non reprehenderetur, si usura illicita, aut damnata esset. Iure etiam positivo usuras permitti facile probatur ex l. socium 60. ff. pro socio, l. 5. leg. Julianus, C. de actioib. empti: & ex quampluribus legibus compilatis in tit. ff. & C. de usuris, cap. conquestus, cap. salubriter, hoc tit. Ergo non recè in presenti statuitur, usurarios manifestos puniendos esse. Deinde adversus pœnam privationis communionis Ecclesiæ, quam P. P. Concilii Lateran. imponunt manifestis usurariis, sic infurgo: In eo quis puniri debet, in quo peccavit, cap. nemo, de tempor. ordin. ut ita pœna respondeat delicto: l. respiciendum 11. l. aut facta 16. ff. de penis, l. sancimus, C. eod. tit. Sed usurarius peccat avaritiæ peccato, injustoque pecuniæ, vel alieni lucri desiderio, ut patet ex cap. virum, cap. bonorum, cap. scus, 47. dist. ergo pœnis pecuniariis, non verò privatione communionis puniendus erat.

7. Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, usuram ab usu, seu utendo dictam fuisse, & ta quod ex usu cujusque rei alicui accedit, usuram nuncupari. Cicero lib. 1. Tusculan. ibi: Natura dedit usuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præstiturâ die. Idem in Verrem 7. usuram lucis dixit: & lib. 3. epist. ad Appium, usuram temporis posuit pro usu. Plautus etiam in Trinummo ait: Nec adeo hæc emi mihi, nec usura mea; id est ad usum meum. Et hac significatione creditor ipse usuram dat, nullumque mutuum est sine usura, id est sine usu. Usura verò, quam debitor pro usu pecuniæ solvit, longè aliam notionem habet; sicut enim vectura vocatur merces, quæ pro vectione datur, mercatura lucrum de merce; similiter & usura est merces, quæ pro usu pecuniæ datur, ut notant Salmalius de usur. cap. 4. Arnoldus Vinius lib. 2. select. cap. 9. Et licet in stricta significatione usura accipiatur pro ea quantitate, quæ penditur pro usu fœnebris pecuniæ; lato tamen modo accipitur pro ea, quæ ex alia causa, quam mutui, ut ex conventionione, aut mora debetur, l. tutor 41. §. 1. ff. de usur. l. acceptam 19. C. eod. l. 4. C. de compens. Et in hoc præcipue differt usura à fœnore; nam fœnus significat pecuniam ipsam creditam sub usuris, id est æs alienum sub usura contractum. Tacitus de moribus German. ibi: Fœnus agitare, & in usuras extendere ignotum. Ideo, magis averfentur, quam si vetum esset. Prosequuntur Salmalius, & Vinius supra, Befoldus in delibat. juris ad lib. 22. ff. q. 1. Parladorius lib. 2. rer. quotid. cap. 2. per totum, Gaspar. Rodriguez de annuis reddit. lib. 2. c. 1. num. 18. Peguera in quest. crimin. cap. 30. num. 1. Deinde sciendum est, varias usurae definitiones adduxisse

7. Usura etymon & definitio.

adduxisse Covar. *lib. 3. var. cap. 1. P. Gregorium lib. 22. synag. cap. 3. Caspar. Rodriguez supra, Felicianum de censib. lib. 1. cap. 1. Borcholten, Hothom. Canisium in suis tract. de usur. Binsfeldium in presenti rubric. Quibus omnis dicendum est cum Leothardo de usur. q. 1. num. 2. usuram esse accessionem fortis debitæ ex solo tempore tardæ solutionis: quam ipse doctè explicat per totam quæstionem illam.*

8.  
*Usura  
malitia*

Deinde sciendum est, usuram inhonestum lucrum esse docuisse Philosophos, & sanctos viros. Aristot. *lib. 4. Ethicor. cap. 1. sceneratores eodem loco ponit, quo lenones. Seneca 7. de beneficiis, inquit: Quid scenus, & calendarium, & usura? nisi humana cupiditatis extranaturam quaesita nomina.* D. Gregorius Nyssenus, usuram partum esse ait, quem parurit avaritia, obstetricatur inhumanitas. Philo de charitate, scenus vocat servilis, & illiberalis animæ studium degenerantis in immanitatem. D. Ambrosius *lib. 3. officior. rapinam & latrocinium appellat.* D. Basilius *ad Amphilocho. can. 14. injustum lucrum. Plutarchus in Lucullo veterem, ac intolerabilem pestem, ac tandem Petrarcha de remediis utriusque fortun. scenus ob scenam rapinam esse ait, & studium quo scenius ullum inveniri non potest.* D. Ambrosius *de Tobia cap. 5. sic mari comparat. Pecunia sceneratoris est fluctus quidam maris, nunquam quiescit, labitur veluti scopulo illisa, ut a gremio debitoris percutit, & continuo relabatur unde processit, cum murmure venit, cum gemitu revertitur: frequenter tamen placidum extrat ventis mare, semper sceneris unda jactatur, mergit naufragos, vestitos exurit, & inssepultos relinquit.* Et *cap. 10. inquit, nihil interesse inter funus, & scenus, inter mortem, & fortem.* Sanctus Leo *sermone 6. de jejun. septimi mensis. Multiplicatur quidem facultas injustis & tristibus incrementis; sed mentis substantia contabescit, quoniam scenus pecunie funus est anime.* Quidam de hujusmodi hominibus sentiat Deus sacratissimus Proph. David manifestat *psal. 14. unde interrogatus Cato, quid de scenore sentiret, respondet idem esse scenerari, ac hominem occidere, ut refert Cicero lib. 2. de officiis. Huc spectat sanctus Ambrosius lib. de Tobia, cap. 14. Usuram petere, suffocare est.* Illustrat Novarinus *lib. 10. schediasmatis. c. 23. Hancque nefariam usurarum artem ostendunt mala, quæ ex scenerandi licentia proveniunt; siquidem patrimonium civium evertit, totas familias in summam egestatem redigit, suisque laribus cives, oppida denique ipsa destitui facit.* Unde Iustinianus *in novel. 32. refert, incolas Thraciæ ita olim à sceneratoribus veratos fuisse, ut plerique diffugerint, plerique fame perierint.* De civitatibus Asiæ hæc refert Plutarchus in Lucullo: *Vrbes Asiæ sceneratores usque adeo dilacerabant, ut privatim ingenii liberi, silaque virgines, publicæ captivæ, donaria, Deorumque statua venderentur.*

9.  
*Usura  
est pro  
brum à  
natura.*

Deinceps sciendum est, usuram omni jure prohibitam esse, naturali videlicet, divino, & positivo. Fusè probat Castillo *de alimentis, cap. 48. Paulus Melius in addit. ad ipsum, Beyerlinch in theatro, Verbo Usura, Kling. lib. 5. loc. communum: cap. 3. & naturali jure probrum esse probatur ex eo, nam creditor lucrum ex re aliena percipiens locupletatur cum alterius jactura; quod per naturam fieri non debet. l. nam hoc natura, ff. de condit. inab. l. jure 207. ff. de R. I. Cicero lib. 3. de offic. ibi: Illud natura non patitur, ut alio-*

rum spoliis nostras facultates, copias, & opes au-  
geamus. D. Augustin. *lib. 19. de civit. Dei, cap. 4. plura Connanus lib. 1. comment. cap. 1. & 2. Pinel. in rubric. de rescind. p. 1. cap. 2. num. 26. Lara in leg. si quis à liberis, §. si quis, num. 94. ff. de liber. agnos. Deinde quia pecunia non parit pecuniam; quam ob rem recipere aliquid ultra summam illam pecuniæ, contra naturam est, potiusque capi dicitur ex industria, quam ex pecunia, quæ non germinat, ut tradit Aristot. *lib. 1. polit. cap. 6. & lib. 4. Ethic. cap. 1. Quibus & aliis rationibus moti hanc sententiam tenuerunt, Covar. dist. cap. 1. Molina de justit. 2. tom. disput. 304. Lessius de justit. lib. 2. cap. 20. Leothard. de usur. quest. 2. num. 26. Gibalinus eod. tract. lib. 1. cap. 7. art. 1. Et si contrarium tenuerint Abulenlis in cap. 25. Martini, quest. 171. & 172. Molineus de contract. quest. 74. num. 528. Grotius de jure belli lib. 2. cap. 12. num. 20. Jure etiam divino, tam legis veteris, quam novæ usuras improbatas esse, constat ex cap. 26. Levit. ibi: Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Et cap. 19. Exechielis, ibi: Si ad usuram non commodaveris, & amplius non acceperis, ab iniquitate averte manus tuas, hic justus vita vivet, & non morietur. Et expressius ibidem: ad usuram dans, & amplius accipiens, nunquid vivet? non vivet. Et psalmo 54. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Et capite 6. Luca, ibi: Bene facite, & mutuum date, nihil inde sperantes. In quo textu licet aliqui, ut Sorus lib. 6. de justitia q. 1. existiment non præceptum, sed tantum consilium contineri, verum tamen est, præceptum exprimi; ideoque Ecclesia sepe sæpius asseruit, usuram utriusque Testamenti paginâ condemnari, ut in præsentitextu, & inc. si quis 14. q. 4. c. super eo, c. consuluit, hoc tit. probant Villaguth. de usur. q. 4. conclus. unice. Gibalinus eod. tract. lib. 1. cap. 7. art. 2. Felicianus de censibus tom. 1. lib. 1. cap. 5. nu. 16. Lessius de just. lib. 2. cap. 2. dubit. 4. Aragon ad D. Thomam q. 78. art. 1. & ita à jure divino usuram prohibitam esse docuit Basil. Imperator apud Harmenopolium lib. 3. promptuarii cap. 7. ibi: *Et si majorum nostrorum plerisque visum est tolerandam esse usuram solutionem propter creditorum fortè molestias. & incommoda; nos tamen à nostra Republica Christiana penè indignam, aver sandam, & execrandam esse censuimus, tanquam jure divino interdiciam.* Leo Imperator *novel. 84. Notarunt Faber. de error. decad. 10. errore 1. Leothardus de usur. quest. 2. num. 27.***

Jure etiam civili diversarum gentium usuræ improbatæ fuerunt; nam Magarenses non solum usuras vetuerunt, verum & solutas repeti jusserunt. Plutarchus in qq. rerum Græcarum. Solon Athenis legem tulit, ne pecuniarum crediturum actio, petitiõve esset Diogenes Laërtius lib. 1. cap. 6. Samuel Petitus ad jus Atticum lib. 5. tit. 4. Lucullum etiam Asiæ Regem inter cætera illud decrevisse, ne ultra duplum usuræ exigerentur; quod ante ab Egyptiis constitutum fuerat, refert Diodorus Siculus lib. 2. & ex eo Cujac. lib. 5. observ. cap. 38. Romani etiam majori odio persequerentur sceneratores, quam fures; siquidem fures dupli pœnâ, sceneratores verò quadrupli condemnabant, teste Varrone in initio de re rustica: & usurarium scenus, quod olim ex libidine locupletum agitabatur, ex jure civili, primò lege 12. Tabul. unciarum scenus permiffum fuit, id est uncia singulis mensibus pro centum. Tacitus lib. 6. annal. quod deinde

10.  
*De usura  
ex  
jure  
vili.*

deinde anno ab urbe condita 396. repetitum fuit lege Dulia Menenia. Livius *libr. 7.* postea anno 422. lege Genutia redactum fuit ad semiunciam, id est dimidium unciae. Tacitus *diēt. lib. 6.* deinde lata fuit alia lex Marci Luculli, quam tulit in Proconfulatu Asiae, teste Plutarcho in *ejus vita*, ut usurae non possent ex crescere ultra duplum fortis; acceptamque Romae fuisse credo ex Tacito *ubi proximè*, ubi de Tiberio agens narrat consuluisse egestati debitorum, dispositis per mensam nummis, & facta copiâ mutuandi sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum praedii cavisset: ubi praedii cavere, est hypothecas praediorum supponere in duplum, id est pro sorte, & pro altero tantum usurarum nomine; quia inde non poterant excedere usurae, *novella 121. §. 138.* Suadetur etiam ex lege si non *sortem 26. §. 1. ff. de condit. indeb.* & ex Paulo *libr. 2. sentent. titul. 14. §. 2.* juncta interpretatione Aniani, quam etiam sequutus fuit Cujacius in *parat. ad titul. Cod. de usur. & libr. 4. observat. capit. 38. & libr. 3. respons. Papin. in l. 4. §. 1. ff. de nautic. faenor.* Revardus in *lib. non debet 41. §. in re, ff. de R. I.* Savarus ad *Sidonium libr. 4. epist. 24.* quamvis aliter idem Cujac. in *notis ad Paulum supra, & libr. 2. 99. Papin. in libr. 1. ff. de usuris*: quae lex ita accepta fuit constitutione Antonini in *lib. usura 10. Cod. de usur.* ut reciperetur in illis, quae excurrunt, & exactè non sunt, ne excedunt alterum tantum sortis; sed non in exactis, quae possent in infinitum ex crescere, quando fors non solvatur; notat Budeus ad *titul. de leg. Jul. Majest. in fine.* Sed Justinianus in *novell. 121. 138. & 160.* abrogavit constitutionem Antonini fanciens ne ullo modo usurae excederent duplum, id est alterum tantum fortis. Postremo vitata fuit omnis versura, ut inquit Tacitus *ubi proximè*, lege scilicet Gabinia, de qua Cicero *libr. 5. epist. ad Atticum.* Quid sit versura, nihil mirum si Justus Lipsius ad *libr. 6. annal. Taciti, annot 53.* non percepisset; cum Cujacius in *diēt. libr. 1.* dicat à nemine intelligi posse, & exposuit sumere pecuniam sub usuris, ut usurae debita exolvantur: sed nullo probati auctoris testimonio utitur, quare verius credo versuram facere esse cambiare, & recambiare, indeque reportare quantum, atque usuras ex usuris exigere, ut suadetur ex Suedonio in *Augusto, capit. 39. ibi: Notavitque aliquos colleutoribus usuris mutuarum, graviori faenore collocare, hoc est facere versuram.* Alia de lege Gabinia, & modo usurarum congestit Mafius *libr. 1. singul. opin. cap. 8.* Igitur quia conniventibus Magistratibus sensim faeneratio in mores hominum irrepfit, cui malo cum vix mederi possent Reipublicae Principes, faenori modum praescriperunt: & cum Romani ad as, & centenarium numerum referrent, ita usurarum praestationes ad eundem numerum referebant, & usuram centesimam, quae summa est, *lib. qui sine, ff. de negot. gest. lib. tutor qui, ff. de administ. tutor.* nuncupatur ea, quae ex centum nummis duodecim nummos annuos parit, & centesimo mense aequat sortem, unde ejus nomen tractum est, quia videlicet centesimo mense sortem aquaret, vel quod sortis pars centesima singulis mensibus praestabatur. Cicero 1. ad *Atticum, epist. 9. & lib. epist. 5. 21.* Seneca *epist. 128.* dicitur usura legitima in *lib. 2. Cod. Theodos. de usuris, l. lecta, ff. de rebus credit. à*

D.D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V*

Plinio *libr. 10. epistol. 53.* Petro Raven. *sermon. 25.* *Usura mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum.* Savarus ad *Sidonium libr. 4. epistol. 24.* Veteres enim in singulos menses usuras stipulari consueverunt, ut liquet ex *lib. lecta, ff. de rebus credit.* Quare menses à D. Basilio ad *Amphiloch. capit. 14.* dicuntur P.P. faeneratores. & in comœdiis Aristophanis debitor quidam optat luna carere: & ne unquam tederent Kalendae. Et Horatius *satyr 3.* *tristes Kalendas dixit.* D. Ambrosius *libr. de Tobia, capit. 12.* *Veniunt Kalendae, parit fors centesimas: veniunt menses, singulae generantur usura.* Quia in singulis Kalendis usurae stipulantur, etsi earum solutio in Idus differretur. Unde Horatius *od. 2.* ait:

*Omnem redegit idibus pecuniam,  
Quarit Kalendis ponere.*

Besses usurae erant, cum ex centum nummis octo singulis annis debitores pensabant, *l. eos, §. 1. Cod. de usuris, l. Publica, §. Titius, ff. depositi.* Semis usura dicebatur, quae ex centum nummis senarios anniversarios parit; & ducentis mensibus sortem aequat, & media centesima usurae dicitur *libr. ultim. Cod. de fiscal. usur.* Eam civilem, & modicam usuram appellat Plinius *libr. 14. histor. capit. 4.* & legitimam esse dixit Justin. in *lib. eos, Cod. de usur.* quincunces usurae dicebantur cum ex centenario anniversarius quinquarius conficitur, id est ex centum annua quinquae, *l. cum quidam, ff. hoc titulo, lib. alimenta, §. Basilica, ff. de alimentis.* Hucque alludit Horatius *lib. 1. sermon.*

*Quinas hic capiti mercedes exigit: atque  
Quanto perditior quisq; est, tanto acrius urget.*

Et Perlius *satyr. 5.*

*Quia petis ut nummi, quos hic quicunque modesto  
Nutrieras, peragant avido sudore deunces?*

Trientes usurae erant, quae in singulos centenarios quaternos nummos quotannis pariunt, & continent tertiam partem centesimae, *l. cum quidam, §. ultim. ff. de usur. l. eos, §. 1. Cod. eod. tit.* Itaque leviores nuncupantur in *l. si legatum, ff. de oper. public.* Huc pertinet lex *3. §. ult. ff. ad leg. Falcid.* quae auctore Hermolao barbaro, cui assensit Budeus de *asse*, sic accipienda est, ut si duodecim in annos singulos relinquuntur, & dubium sit, quantum haeres legatariis expensum ferre debeat, statuamus quoties privato fuerit legatum, ad semisses usuras summam esse reducendam; atque ideo ducenta legatariis imputari in eunda ratione Falcidia. Quod si Reipublicae in annos singulos duodecim relinquuntur, trecenta Reipublicae imputabuntur, id est, auctore Marcello, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes. Tandem usura unciaria dicitur, quae ex centum quotannis singulos nummos cofici, ut in *l. Titius, §. Praefectus, ff. de administ. tut.* Prosequuntur alia de usuris apud Romanos usitatis Guibertus Costanus *lib. 1. 99. jur. cap. 1.* Molineus & Horthomanus in *tract. de usur. Ant. August. l. 2. 99. emend. cap. 10.* Pancirola *lib. 2. var. cap. 104.* Salmut. ad *ipsum, lib. 1. memorab. tit. 19.* Marcellus Donatus in *notis ad Capitolinum, fol. 870. tom. 6. Thesauri critici.* Leothardus de *usur. quest. 4.* Bronchorst. *cent. 2. assert. 7.* Salmatus *6. usur. Gibalinus eod. tract. c. 7. art. 4.* quid tamen jus Justinianum circa usuras statuerit, late prosequuntur Gibalinus *d. c. 7. art. 5.* Leothardus contra ipsum in *disput. speciali. Quid jus Justinianum circa usuras statuerit?* Jure etiam

Gg

ecclesia

ecclesiastico usuras prohibitas semper fuisse, constat ex canonibus supra pro illustratione conclusionis relatis.

II.  
De iudice  
usurarii.

Manet ergo, usurarum exactionem omni jure improbatam esse: unde à Doctoribus sapius quaeritur, an ad iudicem ecclesiasticum, vel saecularem cognitio, punitioque hujus delicti spectet. Et aliqui asseruerunt, crimen hoc merè ecclesiasticum esse, & ideo ad iudicem ecclesiasticum ejus punitionem spectare: pro qua sententia faciunt textus in cap. 1. cap. cum tuus. cap. praeerea 7. hoc tit. cap. 1. & 2. eod. tit. lib. 6. in quibus videmus ecclesiasticos iudices, tam contra saeculares, quam contra ecclesiasticos usurarios procedere. Unde ita docuerunt Glossa, & repetentes in cap. quamquam, hoc tit. in 6. alii congesti à Covarr. lib. 3. var. cap. 3. num. 1. alii relati à Cenedo collect. 30. ad Decretal. num. 2. & ultra eos alii laudati à Cevallos tom. 1. commun. opin. quest. 11. num. 7. & Glossa in cap. ex literis 32. de jurejur. usurarum causam quasi spirituales esse dixit. Alii discrimen agnoverunt inter quaestionem facti, & juris circa usuras, id est ut cum solum dubitatur, an contractus celebratus sit usurarius, nec ne, iudex saecularis possit adiri, quia non cognoscit utrum sit peccatum, vel non, sed tantum illud punit: at verò quando vertitur quaestio juris, utrum contractus tali modo celebratus sit usurarius, vel non, tunc iudicem saecularem incompetentem esse, ne cognoscat de peccato. Ita docuerunt Bartolus in lib. Tertia. num. 7. ff. solus. matrim. Alciatus in cap. 1. de offic. ordin. num. 77. Jul. Clarus lib. 5. sent. §. usura, numer. 8. & §. final. quest. 37. numer. 2. Gutierrez libr. 2. canonic. cap. 18. numer. 21. Spino in specul. testam. gloss. 13. rubric. numer. 67. Sed his omnis verior sententia docet, crimen hoc esse mixti fori, & posse puniri in laicis etiam à potestate utraque, & propriis poenis damnari, nec quaestionem juris, & facti esse hoc loco distinguendam, sicut nec in sacrilegio, aliisque ejusmodi delictis, quae ab utraque potestate damnari, & puniri constat, distinguitur, ut pluribus relatis docet Binsfeld. in presenti rubric. notab. 14. conclus. 6. Rodriguez de annis redditibus. lib. 2. quest. 3. num. 122. Gibalinus lib. 1. de usur. cap. 7. art. 8. conclus. 9. D. Joseph. Vela in cap. 1. de offic. ordin. num. 71. Omitto Molineum de usur. quest. 10. numer. 155. Salmas. de usur. & ceteros heretodoxos, qui prosequuntur odio Romanos Pontifices, illisque omnem hujus criminis cognitionem adimunt; nec poenis etiam ecclesiasticis ab eo plecti posse contendunt sine injuria laicae potestatis: quod quam falsò, & temerarie affirmetur, jam notavi in can. 28. Concilii Illiber.

12.  
Traditur  
ratio de  
cidendi

Quibus ita constitutis apparet quam rectè Patres Concilii Lateran. in praesenti juxta jus naturale, divinum, & positivum statuerint, usurarios manifestos esse communionem Ecclesiae, & sepulturam privandos; nam cum usurarii manifesti praebent scandalum populo, & manifesta peccata, non occultà, sed publicà correctione puniri debeant, ad vitandum scandalum, cap. 1. de poenit. & remiss. cap. si peccaverit 2. qu. 1. cap. ego 42. de consecr. dist. 2. D. Greg. lib. 12. epist. 31. ad Felicem Sicilia Episcopum, Trident. sess. 24. de reform. c. 8. ideo manifesti usurarii privatione communionis, & sepulturae ecclesiasticae, ac aliis etiam poenis afficiuntur, tam laici quam clerici, quas dabitur infra in cap. praeerea.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, nam etsi commercia juri naturali consona sint, tamen id procedit in commerciis, & negotiationibus licitis, non verò in illicitis, ut sunt contractus usurarii. Nec interest, quod jure naturali teneamur ad remunerationem beneficii accepti; nam alio modo possumus rependere gratias, aut remunerationem, quam usuris promissis, & solutis. Nec obstant testimonia sacrae paginae utriusque Testamenti. Non primum ex dist. cap. 28. Deuteron. in illis verbis: *Et fenerabis gentibus multis, ipse autem à nullo scenus accipies.* Nam respondendum est, fenerari in eo loco non significare mutuum dare sub usuris, sed tantum mutuari: in qua significatio accipitur in cap. 22. Proverb. ibi: *Dives pauperibus imperat: & qui accipis mutuum servus est fenerantis.* Et cap. 29. Ecclesiast. ibi: *Fenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Promisit enim Deus in dicto cap. 28. Judaeis legem suam observantibus omnium rerum abundantiam, divitiasque multas, & in illis observantiae praemium dixit, *fenerabis indigentibus multis;* quasi diceret, rerum omnium affluentiam abundabis, ut egentibus multis mutuum dare possis, à nemine autem indigeas accipere, ut exponunt congesti ab Aragon dist. quest. 78. vers. Tertia conclusio. Nec obstat textus in dist. cap. 23. Deuteron. in illis verbis: *Non fenerabis fratri tuo, sed alieno.* Nam omnia solutioe Joannis Pannicocti apud Lorinum in comment. illius textus, qui existimat illud, *sed alieno,* esse notam marginalem, quae in textum irrepit: & Hieronym. de Luca in tract. de cambiis, cap. 2. numer. 15. qui ait particulam illam adjectam fuisse à Concilio Sanedrini, quos refellit Gibalinus dicto cap. 7. articulo 2. dicendum est, Judaeis permissum fuisse exigere ab alienigenis usuras ad vitandum majus malum, ut etiam illis permissum fuit repudium, ne scilicet ob suam duritiam, & avaritiam fratres spoliarent. D. Thomas 1. 2. quaestione 108. articulo 3. erantque alienigenae, de quibus loquitur textus ille Chananæi, Amalchitæ, & Amorritæ, qui injustè detinebant terram populo Hebraico promissam, nempe Palaestinam: quo fit, jure optimo Hebraeos ab injustis possessoribus pecuniam exigere potuisse, argumento textus in cap. 1. in fine, hoc tit. cap. 3. Exodi, cap. dixit Dominus 14. quaestione 5. ubi docetur, populum Hebraicum Dei autoritate absque furti obligatione vasa aurea, & argentea ab Aegyptiis abstulisse: juxta quam interpretationem intelligendus est textus in cap. finali, 14. quest. 4. ubi D. Ambrosius asserit, usuras justè exigi posse ab iis, quorum bona jure belli capi possunt, nam intelligendus est, quoties accipitur usura, & retinetur in damni compensationem ab hoste injusto illati, vel ubi bona ab hoste possessa sunt ipsius mutuantis, aut ad eum pertinent, quemadmodum praedia Terrae Promissionis à Chananæis possessa ad Judaeos divina largitione pertinebant: quo modo textum illum, & locum D. Ambrosii in dist. cap. ult. explicant Cardinales in Clement 1. de usur. §. ult. quest. 13. Conradus de contract. quest. 42. conclus. 2. Turrisicrem. in dist. cap. ult. Sotus lib. 6. de justit. quaestione 1. art. 1. alii relati à Covarr. dist. lib. 3. cap. 1. numer. 7. post Gerlonem Rossellii lib. 6. histor. cap. 1. numer. 9. Azor. 3. pars. insit. lib. 7. cap. 8. P. Gregor. lib. 3. part. tit. 5. cap. 5. Nec obstant auctoritates D. Matthæi, & Lucæ.

Lucæ; nam intelligi debent metaphoricè de usura spiritualium bonorum, vel virtutum, ut latius constat *ex eodem cap. 25.* quinimodò et si in sensu naturali, vel rerum naturalium parabola illa acciperetur, facile responderi posset verbum *usura*, non esse accipiendum de usura reprobata & injusta, sed de lucro justo; unum enim, & alterum sensum habere potest usuræ nomen, ut textum illum exposuerunt Sotus, Molina, & Aragon supra laudati. Nec obstant juris Cæsarei testimonia, ubi usuræ permittantur; nam usuræ jure civili tolerabantur, non tanquam justæ, sed tanquam impunitæ, ut supra notavi. Nec tandem obstant textus in dict. *cap. conquestus*, *cap. salubriter hoc titulo*, quorum veram interpretationem dabimus in eorum commentariis. Nec tandem obstat, quod ultimo loco expendebamus: videlicet in præsentī casu imponendam esse pœnam pecuniariam, seu temporalem; nam et si in præsentī usurarii manifesti tantum priventur communione Ecclesiæ, tamen non negatur aliis pœnis ecclesiasticis, & secularibus eos afficiendos esse, ut dicemus infra in *cap. præterea*.

14. Sed supra traditis obstat textus in *cap. 3. de fidejuss.* in illis verbis: *Præsentium quoque auctori-*

*tate injungimus, ut si debitum, vel accessiones ille Exponegaverit, consuetudine, qua est legi contraria, nitor non obstante, juramentum calumnia subire cogatur.* *cap. 3. de tur.* Ex quibus expressè deducitur, fidejussorem fideiussorem non solum teneri in sortem principalem, verum & in accessiones, id est in usuras; siquidem usura dicitur accessio, *l. frumenti, Cod. de usur. l. final in fin. Cod. de jure dot.* Igitur quia usuræ non sunt improbatæ per sacros canones. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, verum esse fidejussorem in sortem principalem acceptum jure civili etiam in usuras teneri, ut in eo textu probavi; attamen in eo textu Pontifex per accessiones non usuras intellexit, sed pœnam obligationi principali adjectam, ut fructus prædiorum, vel arborum, seu pensiones domorum. Quæ omnia accessionum nomine continentur, ut probat Leothard, *de usuris questione 1. num. 2.* Etiam opponi possunt textus in *cap. 1. de feudis*, junctis adductis in ejus commentario, *cap. per vestras, de donat. inter. junctis ibi notatis; can. 20. Concil. Niber.* cum ibi adductis, *cap. quoniam 47. dist. cum dicto*

Leothardo *de usuris*

*quest. 3.*

## CAPUT IV.

Alexander III. <sup>a</sup> Panormit. Archiepiscopo.

Super eo verò, quod à nobis tua devotio postulavit, utrum possit in recipienda pecunia ad usuram fieri dispensatio, ut pauperes, qui in <sup>b</sup> Sarracenorum captivitate tenentur, per eandem possint pecuniam liberari; præsentibus tibi literis diximus respondendum, quòd cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam non videmus adhibendam, quia cum Scriptura sacra prohibeat vel pro alterius vita <sup>c</sup> mentiri, multò magis est prohibendus quis, ne pro <sup>d</sup> redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur.

## NOTÆ.

- <sup>a</sup> *Panormitano.*) Ita etiam legitur in prima collectione: *sub hoc tit. cap. 3.* & post Concil. Lateran. *part. 16. cap. 1.* De Panormitana Ecclesia jam nonnulla adduxi in *cap. 4. de elect.*
- <sup>b</sup> *Sarracenorum.*) Nam paulò antè tempore Alexandri III. tota ferè Sicilia occupata erat à Sarracenis, cum quibus Siculi his temporibus sævum bellum gerebant, ut post alios refert D. Rochus Pitro *tom. 1. Sicilia sacra, in notitia Panormit. Ecclesia, anno 819.*
- <sup>c</sup> *Mentiri.*) *Cap. is autem 4. 22. quest. 2. c. si quis coactus 3. 22. quest. 5.* plura Theophilus Raynaud. *tom. 14. tract. de restrict. mentali, cap. 2. ex num. 16.* Alb. Gentilis *de abusumendacii, c. 13.* D. Joseph. de Retes *lib. 7. opuscul. cap. 3.* qui latè agunt de mendacis officioso, & quando liceat amphibologicis clausulis uti.
- <sup>d</sup> *Redimenda.*) Et ita nec etiam pro pia causa licet usuram exercere, quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona; licet legamus aliquando in belli subsidium pecuniam Ecclesiæ accipi à Principe sæculari sub annuo censu, non sub specie mutui, sed precarii, ut in Concilio Lepriensi sub Zacharia I. Concilio Ratisbonensi sub eodem: notavit Cironius *ad tit. de precariis.* Inde apud Antiquos valde dubitarum fuit de montibus Pietatis. Est autem mons pietatis cumulatús à D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

ris acervus, qui sublevandis per mutuam miseris pauperum destinatur ea lege, ut mutuarius pignoribus datis pro securitate, exiguum aliquid solvat pro quantitate accepta. Et Cajetanus *3. tom. opusc. de monte Pietatis*, Sotus *lib. 6. de justit. qu. 1. artic. 6.* tenuerunt hujusmodi montem pietatis illicitum esse, quia jam recipitur aliquid ratione mutui ultra sortem principalem. Sed contraria sententia, immò licitum esse, verior, & receptor est, & etiam approbata per Sixtum IV. Innocentium VIII. Jul. II. Leonem X. in Concil. Lateran. *sess. 10.* & per Trident. *sess. 22. de reform. cap. 8.* ubi inter alia pia opera montes isti recensentur. Eorum æquitatem, & justitiam defendunt Molina *de just. tract. 2. disput. 325.* Lugo *eod. tract. disput. 25. numero 188.* Castropalao *eod. tract. disput. 4. num. 24.* Azor. *3. part. instit lib. 5. cap. 9. quest. 2.* & *cap. 22. quest. 4.* Scaccia *de commerciis, §. 1. quest. 1. num. 461.* Sarmiento *lib. 7. select. cap. 2. num. 13.* Leothardus *de usuris q. 22.* Aravio *in qq. moral. disput. 1. de statu civili. qu. 6.* Lessius, & alii apud Gibalinum *de usuris lib. 4. cap. 7. art. 2.*

## COMMENTARIUM.

Cum usurarum prohibitio à jure naturali, & divino proveniat, non potest Pontifex, vel alius supremus Princeps dispensare, permittereve

G g 2

usurarum



usurarum exercitium, cum juri naturali, aut divino refragari ullus legislator non possit; *cap. sunt quidam 25. questione 1. cap. non debet, de consanguin. & affin. l. eas, ff. de capite minor. facit Cicero lib. 2. de natura Deorum, ibi: Universam autem naturam nulla res potest impedire. Et lib. 3. de republic. ibi: Huic legi nec derogari fas est, nec abrogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari potest, nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus: nec erit alia lex Roma, alia Athenis, alia nunc, alia post; sed in omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna erit immutabilis.* Quae verba maximam cum laude refert Lactantius Firmianus *de vero cultu Dei lib. 6. cap. 8.* pro qua sententia facit etiam legem à superiore latam inferiorem abrogare non posse, *cap. cum inferior, de majorit. & obed.* Unde cum Deus hujus legis divinae, & naturalis auctor sit, *cap. 1. de summa Trinit. cap. incommutabilis 22. quest. 4.* oportet legem ab eo latam immutabilem esse. Quare rectè in praesenti docetur, non posse Pontificem dispensare, ut pro redimendis Chri-

stianis captivis à Sarracenis usurae exerceantur, quia etiam praetextu boni malum fieri non debet, *cap. non est putanda 27. quest. 1. cap. nec arbitris 22. quest. 2. docuerunt Covarr. lib. 3. var. cap. 1. num. 8. Lupus, Antoninus, & alii, quos laudat & sequitur Gibalinus lib. 1. de usur. cap. 7. art. 8. consuet. 2. Majolus dier. canonic. colloq. 1. de per. si d. ludeorum.* Inde etiam inferitur, nullam consuetudine utcumque immemorabili, induci posse, ut usurarum exercitium licitum sit. *Clement. unic. in fine princip. hoc tit. argumento capitis finalis, de consuet. docent Covar. ubi supra, Conradus de contract. quest. 25. Lupus de usur. comment. 4. §. 4. num. 7. Majolus ubi proximè: quod intelligendum est quoad forum internum, in quo consuetudo non excusat quoad Deum: in foro vero contentioso respectu poenae temporalis longè diversum erit; nam ab ea procul dubio excusabitur, qui praetextu consuetudinis usuras extorquet, argumento textus in l. quis sit fugitivus 17. §. apud La-beonem, vers. Ego puto, ff. de adilit. edict. ubi notavit Bartolus.*

## CAPUT V.

Idem à Salernitano Archiepiscopo.

Cum tu, sicut asseris, manifestos usurarios, scilicet qui in illo peccato decesserint, communionem altaris, & ecclesiasticae, juxta decretum nostrum, quod nuper in Concilio promulgatum est, praeeperis sepultura privandos, donec reddatur, quod tam pravè receperant: quidam eorum dicunt, ad solvendas perceptas usuras proprias non sufficere facultates: alii verò promittunt partem usurarum, quas habent praemanibus, reddituros; sed usuras alias, quas extorserant, cum de his possessiones comparatae sint, & eorum filiis, vel parentibus tradita, se non posse reddere contententur. Alii verò ad excusandas excusationes in peccatis, imprudenter affirmant, illas dumtaxat usuras restituendas, quae sunt post interdictum nostrum receptae, nec aliquos ad solvendas usuras, quas ante interdictum nostrum receperant, debere compelli. Super his duximus t. d. respondendum: quod si ante, si post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per poenam, quam statuimus in Concilio, eas his, à quibus extorserint, vel eorum haeredibus restituere: vel his non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipsas restituere possint; cum juxta verbum Beati Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem, qui non habent de facultatibus, de quibus usuras valeant restituere, non debent illam poenam multari, cum eos nota paupertas evidenter excuset. Possessiones verò, quae de usuris sunt comparatae, debent vendi, & ipsarum pretia his, à quibus usurae extortae sunt, restitui, ut sic non solum à poena illa, sed etiam à peccatis possent, quae per usurarum extorsionem incurrerant, liberari.

## NOTAE.

<sup>a</sup> *Salernitano.* Ita etiam legitur in prima collectione sub hoc tit. cap. 3. & post Concil. Lateran. part. 16. cap. 1. de Salernitana dicecelesi egi in cap. 1. de offic. judic.

<sup>b</sup> *Concilio.* Lateranensi, relato supra in cap. 3.

<sup>c</sup> *Interdictum nostrum.* Quae excusatio vera esset, si prohibitio haec usurarum proveniret ab hoc Concilio Lateranensi, ex traditis in cap. ex literis, de consuet. Sed in praesenti casu omnino irrationabilis erat, cum praesens prohibitio sit juris naturalis, & divini, ut probavi supra in cap. 3.

<sup>d</sup> *Augustini.* Epist. 54. ad Macedonium: ex qua citant verba haec Carnotensis part. 13. Decret. cap. 4. & part. 15. cap. 25. Gratianus in cap. 1. 14. quest. 6. Bonifacius VIII. in regul. peccatum, de R. l. lib. 6.

<sup>e</sup> *Possessiones.* Quarum dominium non ad solventem usuras spectat, sed ad usurarium, quia res empta ex pecunia aliena, veluti Titii, non sit Titii, sed mea, in meoque dominio manet, l. si ex ea pecunia 6. l. si ut proponis 8. Cod. de R. V. l. ex pecunia 12. Cod. de jure dot. l. final. Cod. de servo pign. dato, l. 49. tit. 5. part. 5. notavi in cap. inquirendum 4. de pecul. cleric. Unde nec bona usurarii, etiam ex ipsis usuris empta, sunt tacite hypothecata pro usurarum restitutione, l. quamvis 17.

vis 17. *Cod. de pignor. probant Covarr. dict. cap. 3. nu. 6.* Binsfeldius in *presenti, quest. 4.* Leorhardus de *usur. 9. 97. num. 1. & 2.* Salas *cod. tr. dub. 41.* Gibalinus *cod. tract. lib. 1. cap. 10. art. 6. conselt. 3.* Tapia 2. *tomo catena, lib. 5. quest. 17. art. 11.* Ratio est, quia tacita hypotheca tantum contrahitur in casibus à jure expressis, l. 1. ff. *quibus modis pignus.* Unde cum talis hypotheca ex jure naturali, civili, vel canonico colligatur, ideo non est ratio cur eam inducamus. Nec obstat quod Alexander in *presenti* jubet possessiones ex pecunia usuraria comparatas vendi debere, nam non jubet Alexander eas possessiones à tertio possessore uferri, sed tantum vendi debere, ut cætera bona ab usurario acquisita; quia possessiones illæ non sunt magis obstrictæ restitutioni usurarum, quam cætera usurarii bona: nam quilibet alius, ex cuius pecunia prædium comparatum est, tantum habet actionem ad pecuniam repetendam, l. 1. & 3. *Cod. si quis alteri, vel sibi, l. 16. & 17. Cod. de pignor.* Prosequitur Aravio in *99. moral. disput. 1. de statucivilis, quest. 7.*

## COMMENTARIUM.

3. PRO hujus textus expositione sciendum est, usuram impiam esse contra Deum, inquam contra proximum, & periculosam in seipsum; ideoque dare ad usuram peccatum lethale est, ut probant D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. omnes Theologi de usuris agentes, & constat ex l. 1. tit. 6. lib. 8. *Recopil. libi: Es muy gran pecado.* Tum etiam quia ex jure divino, & humano prohibitum est usuras exercere: quare hæreticum esse, affirmare, usuras accipere peccatum non esse, ex Clementina unica, §. *sanè, hoc tit.* defendunt Navarrus, & alii congesti ab Azevedo in *dicta l. 1. num. 47.* Unde quemadmodum tenetur quis ablarum restituere ratione acceptationis injustæ, ut constat ex *cap. si res alienar. 4. quest. 6. D. Augustino supra relato, D. Thom. 2. 2. quest. 62. art. 1.* ita etiam tenetur usurarius ad ejus restitutionem, quod per usuram extorsit, *cap. preterea 7. cap. tua 9. cap. tuas 13. cum seq. hoc tit. cap. quamquam, eod. tit. in 6. cap. ad nostram, e. l. 1. de jurjur. cap. 1. cum seq. 14. quest. 4. l. 2. tit. 15. part. 6.* Hæsitari tamen solet, an dominium usurarium in accipientem transferatur? Et videtur in eum transferri, nam quæcumque conditio competat pro repetendis usuris, videlicet ob turpem causam, ut voluerunt Berouus in *cap. 3. hoc tit.* Sylvester verbo *Usura 6. num. 1.* sive conditio indebiti, ut deducitur ex l. *si non sortem 26. in princip. ff. de condit. indeb.* & docuit Covarr. *dict. lib. 3. cap. 3. nu. 7.* supponimus dominium translatum fuisse in usurarium, quia conditiones competunt adversus eum, qui dominium rei acquisivit, l. *dominus 53. ff. de condit. indeb.* Unde hanc sententiam tenuerunt Glossa verbo *rapinam. in cap. si quis usuram 14. quest. 4.* Navarr. in *manuali, cap. 17. num. 261.* Sotus, Henricus, & alii relati à Villaguth. de *usur. quest. 25.* Sed contraria sententia, videlicet dominium usurarum accipientem non acquirere, solidissimis probatur rationibus. Prima quia usura, furtum, vel rapina dicitur, *cap. si quis usuram 14. quest. 4.* rei autem furtivæ dominium in furem non transmittitur, ut constat ex l. *final. ff. usus fruct. quem adm. caveat.* ergo nec in usurarium usuræ dominium transfertur. Secundò quia etsi in usurarum solutione interveniat traditio, cum tamen non proveniat ex iusta

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

causa, sed potius ex turpi, & injusta, talis traditio non est sufficiens ad transferendum dominium, ex l. *nunquam 31. ff. de acquir. domin.* Ulterius quia ex contractu nullo non transfertur dominium, ut ex l. *non dubium. Cod. de legibus,* notant Bartolus, & Doctores. Quare hanc sententiam tenuerunt pluribus relatis Binsfeld. *hic, Sotus lib. 6. de justitia, quest. 1. art. 4.* Covarr. *lib. 3. var. cap. 3. numer. 6.* Spino in *specul. testam. gloss. 13. rubrica, num. 27.* Villaguth. de *usur. quest. 25.* In quo interpretum dissidio placuit sententia Bellameræ in *dict. cap. si quis usuram*, quam sequitur Didacus Perez in l. 2. tit. 19. lib. 8. *ordin. pag. 363. col. 2.* videlicet ut attento juris rigore & inspecta juris civilis subtilitate, prior sententia verior sit, posterior vero procedat attento jure naturali & ejus æquitate, quam cum sequatur jus canonicum, credo eo attento dominium usurarum non acquirere usurarium, & ita restitutionem earum non in pœnam criminis, nec legis positivæ auctoritate statutam fuisse, sed à jure naturali præceptam, ex ipsiusque rei natura introductam: unde etiam deducitur ad eam restitutionem faciendam non esse necessariam judicis declarationem, sed ante eam ipso jure fieri debere, ut constat ex *presenti* textu, ibi, *ipso jure.* Quia licet in pœnalibus expectetur judicis declaratio, *cap. cum secundum, de hereticis in 6. l. ejus qui ff. de jure fisci;* notavit in *cap. vergentis, de heretic.* tamen cum hæc restitutio pro pœna usurario non imponatur, statim, & absque ulla judicis sententia, vel declaratione fieri debet.

4. Nec tantum usuræ sunt restituendæ, verum & fructus, & accessiones, si res fructifera pro usura data sit; & omne id, quod interest mutuatarii sibi usuras non fuisse ablatas, ratione damni ipsi inde emergentis, aut lucri cessantis, ut probant Caspar Rodriguez *lib. 3. de annuis reddit. quest. 11. num. 14.* Molina de *just. tract. 2. disput. 327.* Salas de *usur. dub. 39. num. 3.* Binsfeld. in *presenti, quest. 2. conclus. 5.* Leorhard. de *usur. quest. 96. numer. 19.* nam fur tenetur ad id, quod interest ex rei furtivæ surreptione, ex l. 3. ff. *de condit. furtiva, l. merito, ff. de vi & vi armat.* sed usurarius furti, & raptori comparatur: ergo tenetur etiam ad id, quod interest. Nec obstat si dicas, usuras repeti per conditionem indebiti, vel per conditionem ob turpem causam, ut supra dixi; sed in neutra ex his conditionibus veniunt usuræ, ex l. 1. *Cod. de condit. indeb. l. quoties 4. Cod. de condit. ob turp. l. ult. ff. eod.* immò nec in conditione furtiva repetuntur unquam usuræ, sed rei dumtaxat fructus, l. 8. ff. *de condit. furtiva.* Igitur cum usurarius non sit pejor fure, non debet teneri ad interesse. Nam respondeo, magnum versari discrimen inter usuras, & interesse; usuræ enim non proveniunt naturaliter ex ipsa pecunia, & numerorum corpore, nec sunt illius naturales accessiones, l. *sinavis, ff. de R. V. l. 121. ff. de V. S.* interesse autem sequitur naturam, aut rei, aut detentionis ejus; ideoque debetur ex æquitate naturali, cum usuræ nisi ex aliquo superaddito, pacto videlicet, stipulatione, aut lege non debeantur: quare in conditionibus, quæ sunt stricti juris, usuræ non veniunt, at verò quanti interest, sive interesse, in omnibus, & ex quacunque causa debetur, l. 1. *Cod. de sententiis qua pro eo, fultius prosequitur Gibalinus lib. 1. de usur. cap. 10. art. 3. per totum.*

G g 3

Hæc

5. Hæc autem obligatio restituendi usuras limitata-  
tur in præsentî, si usurarius ad inopiam pervene-  
rit. Faciunt textus in *cap. quarelam* 10. *brevi* 17.  
*de iur. iur.* l. nam his 6. ff. *de dolo*. Ratio est, quia  
nemo ad moraliter impossibile obligatur, nec tenet-  
ur ad id, quod proprias vires excedit, ut ex  
D. Thom. 2. 2. *quest.* 62. *art. ult.* tradit Covar.  
*in regula Peccatum, in princip. nu. 2.* Si ergo in fa-  
cultatibus habeat usurarius unde restituat, debet  
restituere, si creditor certus sit; si verò incertus  
sit, debet restituere, pauperibus pro anima ipsius  
creditoris, ut in præsentî probatur, & in *cap. quia*  
*plerique, de immunit. Eccles. cap. si dignum* 6. §.  
*eos, de homicid. cap. nemo* 14. *quest.* 5. l. 2. *tit.* 15.  
*partii. 6.* Tapia *tom. 2. lib. 5. quest.* 30. *art.* 3. ita ta-  
men, ut quando invenitur creditor, vel ejus hæres,  
usuræ pauperibus non sunt restituendæ: quare si  
absens sit creditor, saltem sumptibus ejus ad eum  
usuræ sunt transmittendæ, argumento legis *opere*,  
ff. *de oper. libert.* docuerunt Lælius Mancin. *sacri*  
*juris controu. disput.* 31. *per tot.* Petrus Greg. *lib. 3.*  
*partii. tit. 5. cap. 6.* Quærit tamen solet, an hæc resti-  
tutio usurarum pauperibus faciendâ libera sit, ita  
ut Episcopi dispensationem non exigat? Et non  
esse necessariam Episcopi auctoritatem immò  
potius usurarium per se, vel per alium à se depu-  
tatum restituere usuras debere, defendunt Feli-  
nus in *cap. cum sit, num. 4. de judiciis.* Navar-

rus in *manuali, cap. 17. num. 81.* D. Thomas  
2. 2. *quest.* 62. *art. 5.* Sorus *de justit. lib. 4. quest.* 7.  
Covar. in *cap. 3. de restam. num. 8.* Matienzo *m. 1. 4.*  
*glos. num. 6. tit. 4. lib. 9. recopil.* Nec contrarium  
probat in hoc textu quatenus in eo docetur, u-  
surarium ab Episcopo cogendum esse ut restituat  
domino vel hæredibus, in eorumque defectu pau-  
peribus: nam Episcopi officium in præsentî casu  
solum consistit in compellendo usurarium, ut re-  
stituatur, non tamen in restitutione ipsa faciendâ.  
Nec etiam obstat textus in *cap. 3. cap. tua nobis* 17.  
*cap. Ioannes de restam.* ubi probatur in distri-  
butione faciendâ ob executore testamenti debere  
intervenire auctoritatem Episcopi; quibus juribus  
moti contrariam sententiam tenuerunt Hostiensis  
& Anania in *præsentî*, Covar. & Matienzo *ubi*  
*suprà*; nam debent intelligi datâ restituentis, vel  
ipsius testamentarii, aut hæredis negligentia, ut  
similiter in casu legis nulli, *Cod. de Episcop. & cle-  
ric.* ubi desideratur Episcopi auctoritas in distribu-  
endis bonis defuncti, quia defunctus peregrinus  
erat, & sine hærede decesserat: & etiam in *cap.*  
*cum sit, de Indais,* desideratur Episcopi aucto-  
ritas in restitutione faciendâ Christianis; quia ut Ju-  
dæus qui facere eam debebat, suspectus reperiebat-  
ur. Quæ omnia cum cessent in usurario restituente  
usuras pauperibus, ideo in ea faciendâ non desi-  
deratur Episcopi auctoritas.

## CAPUT VI.

Idem<sup>a</sup> Iannensis Archiepiscopo.

IN<sup>b</sup> Civitate tua dicit sæpe contingere quod quidam piper, seu cinnamomum; aut alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valebant, & promittunt per publicum instrumentum se eis, à quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino solituros. Licet autem contractus hujusmodi ex forma non possit cenferi nomine usurarum; nihilominus tamen venditores peccatum incurrun, nisi dubium sit, merces illas plus minusve tempore, quo pretium debent recipere, valituras: & ideo civis tui salutis suæ bene consulere, si à tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> Iannensis.) Ita etiam legitur post Concilium  
Lateran. *part. 16. cap. 2* & in *v. collect. sub*  
*hoc tit. cap. 7.* ubi additur *pars capituli Fratemitas*  
*tua.* Unde cognoscitur in præsentî referri partem  
textus in *cap. 7. de sponsa duor.*

<sup>b</sup> Civitate.) Quæ Iannensis civitas mater  
est mercatorum, ut probavi in *cap. per vestras, de*  
*donat. inter.*

*vili. quest. 6. Fachineus lib. 2. controu. cap. 31.* Gal-  
par Rodriguez *de annuis reddit. lib. 3. quest. 7. n.*  
72. Molina *de justitia tract. 2. disput. 355.* Leo-  
thardus *de usur. quest. 24. per tot.* Canisius *eod.*  
*tract. cap. 3. Salas eod. tract. dub. 41.* Cyriacus *con-*  
*trou. 169.* Lælius Zaccheus *de usur. cap. 12. nu. 8.*  
Lælius *de justit. lib. 2. cap. 21. num. 51.* Petrus Gre-  
gor. *lib. 3. partii. tit. 5. cap. 4.* Tapia *tom. 2. lib. 5. qu.*  
*17. art. 12.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem asser-  
tionem ita insurgo. Qui vendit rem carius ob Impog-  
dilatam solutionem, non violat justitiam com-  
mutativam, id est nec vendit carius justo pre-  
tradata  
tione recipit: ergo non peccat. Antecedens  
probatur, quia in tali venditione inter emen-  
tem, & vendentem servatur æqualitas justitiæ  
commutativæ, quæ postulat, ut sicut emptor  
sentit utilitatem & commodum, re emptâ sta-  
tim traditâ; sic etiam venditor, cum ex tali di-  
lacione solutionis pretii incommodum patia-  
tur, aliquod aliud in hujusmodi compensatio-  
nem accipit: nam quemadmodum qui ante  
diem solvit, plus solvere dicitur; ita similiter mi-  
nus

## COMMENTARIUM.

I. EX præsentî textu sequens communiter dedu-  
Conclu-  
sio tra-  
ditur &  
proba-  
tur.  
citur assertio: *Vendens rem plus quam valet ob*  
*dilationem solutionis peccat, nisi dubium sit an tem-*  
*poris solutionis pretium augeri possit, & venditor*  
*antea venditurus non esset.* Quam conclusionem  
probant textus in *cap. consultus* 10. *vers. etiam, cap.*  
*final. hoc tit. cap. ad nostram, de emptio. & vend.*  
*cap. illo vos, de pignor.* Concil. Mediolan. sub  
Carolo *part. 2. tit. ult.* Illustrant vltra congestos  
in præsentî à Barbosa, Binsfeldius, & Canisius in  
præsentî, Aravio in *qq. moral. disput. 1. de statu ci-*

nus solvit qui tardè solvit, *l. solidum 85. ff. de solut. l. sicut 12. vers. minus. ff. de V.S.* Unde propter dilatam solutionem habità ratione interfusurii medii temporis, usuras deberi, recipique constat *ex l. curavit 5. Cod. de action. empti. l. Iulianus 14. §. venditor. ff. eod.* Ergo licet carius vendere ob solutionis dilationem. Accedit, nam qui legis auctoritate aliquid facit, pœnam non meretur, nec peccat, *leg. Gracchus. Cod. ad leg. Iul. de adult. l. iuste 11. ff. de acquir. possess. sed legis auctoritate conceditur, quod tanti æstimeretur res, quanti vendi possit, l. quarebatur 81. ff. ad leg. Falcid. ibi: Quanti nomen distrahi potest: & l. 1. §. heres. ff. ad Trebel. & quod plus est, naturaliter licet contrahentibus ad invicem se decipere, *l. in cause, la 2. l. in ordine 17. vers. Idem Pomponius. ff. de minor. l. item si pretio 25. §. final. ff. locati.* Igitur ex juris permissione rectè potest venditor ob dilatam solutionem rem carius vendere.*

3. De mutuo præsumpto. Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quoddam esse mutuum formale expressum, vel clarum, tam secundum formam, vel figuram contractus, & intentionem contrahentium, quàm secundum juris regulas, & ejus declarationes: de quo mutuo agitur *in tit. D. & Cod. de rebus credit.* Aliud verò mutuum est occultum, palliatum, præsumptumve, quando in verbis, & exteriori figura contractus ostendunt contrahentes celebrare venditionem, vel locationem; sed in rei veritate attempta latet occultum, & palliatum, vel virtuale mutuum, quod ita juris interpretatione, rei veritate attentâ, & neglectâ simulatione, mutuum creditur *ex l. 3. & 38. ff. de O. & A. l. 1. & per tot. Cod. plus valere quod agitur: de qua palliati, vel præsumpti mutui specie agitur in c. illo vos, de pignor. c. ad nostram, de empt. & vendit. cap. consulti, c. naviganti, hoc tit. & in præsentis textu, ubi mutuum facilè deducitur ex intentione venditoris, qui eo quod justii pretii solutionem differt, creditur, & præsumitur justum pretium, tanquam de præsentis tempore contractus, ementi mutuare usq; ad diem, vel terminum dilatae solutionis, ut accipiat aliquod lucrum, videlicet superexcrecentem quantitatem ultra justum pretium: in qua acceptatione usuram palliatam in hoc palliato mutuo agnoverunt Div. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 7. Molina, Salas, & alii, quos refert & sequitur Leocharius dict. quæst. 24. per totam. Unde illa verba præsentis textus, non possit censeri nomine usurarum, intelligenda esse de usura vera, & formali, non verò de usura palliata, quæ provenit ex mutuo præsumpto, ipsi docent.*

4. De justo & primo pretio veniente. Deinde sciendum est pro expositione secundæ partis hujus conclusionis, quæ docet propter pretii incertitudinem, & dubium eventum, excusari vendentem rem carius, ob solutionis dilationem; sciendum, inquam, est pretium mercium, vel rerum vendibilium duobus modis considerari posse. Primò secundum se, id est secundum verum, & infallibilem valorem, neglectâ, vel remota industria contrahentium, & varietate, vel mutatione temporis non attentâ. Secundo modo pretium rerum æstimatur habitâ consideratione industriae partium contrahentium, vel negotiantium; & mutationis, & varietatis temporum, & ubertatis, vel sterilitatis. Pretium primo modo acceptum dicitur ab Interpretibus legitimum, vel justum, ut potè lege justa taxatum; & in eo pretio res non valere magis in futurum creditas, quàm de præsentis va-

lent, & æstimantur, certissimum est, hoc enim habito respectu ad pretium legitimum, perpetua, vel in perpetuum una, & eadem rerum æstimatio est, juxta legem 1. ff. de contrahend. emptio. ibi. Cujus publica, ac perpetua æstimatio: probavi in cap. de empt. & vendit. hoc enim pretium consistit in indivisibili, & in eo pretio lege justâ taxato nullus dari potest excessus ratione temporis, vel cujuslibet alterius respectus, vel circumstantiæ; sed omni tempore unum, & idem pretium est, ut resolvunt Sotus de justit. lib. 6. quæst. 2. art. 3. Molina de just. tom. 2. disp. 347. Lessius lib. 2. de justit. cap. 21. dnb. 2. Morla in empir. tit. 9. quæst. 6. num. 4. Nec contrarium probant textus in leg. circa, l. in quantitate 73. §. in diem, & §. magna dubitatio, ff. ad leg. Falcid. l. si mandavero 22. §. 1. ff. mandati: ubi docetur ratione, vel respectu temporis res pluris, minorisque æstimari. Nam accipiendi sunt de pretio secundo modo accepto, quod ab Interpretibus dicitur naturale, cum scilicet ad rei, quæ venditur, valorem æstimandum habetur ratio, & respectus ad varias circumstantias varietatis temporum, industriae negotiantium, diversitatis locorum, ubertatis, vel sterilitatis: propter quas omnes circumstantias, vel respectus pretium hoc naturale crescit, vel decrescit, *l. pretia 63. §. final. ff. ad leg. Falcid. cum similib.* Fusè causas, ob quas pretium hoc augetur, vel minuitur, prosequuntur Pinel. in l. 2. Cod. de rescind. 3. part. cap. ultim. Molina dict. disput. 348. Lessius de justit. libr. 2. cap. 21. dub. 2.

5. Exponitur præsens textus. Quibus sic constitutis, apparet præsentem textum non procedere respectu justii, seu legitimi pretii, cum in eo pretio non possit res carius vendi ob dilatam, vel creditam solutionem, ac proinde vendens ad creditum, & plus accipiens, quàm esset recepturus, si venderet de præsentis, illud quod plus accipit, tenetur restituere: quare præsens textus necessariò intelligi, vel accipi debet de pretio naturali, in quo juxta supra tradita, eo habito respectu, scilicet quod tempore futuro res vendenda plus, minusve valere potest, & quod hoc sit dubium, & incertum, rectè potest aliquantum carius, vel majori pretio in futurum, vel creditum vendi, quàm valeat de præsentis, juxta præsentem textum in vers. Nisi dubium: cui jungendus est textus in cap. final. hoc tit. in illis verbis: Si ramentum ea tempore contractus non fuerat venditurum. Et ita duplex circumstantia hoc casu ut vitetur peccatum, concurrere debet. Prima, quod incertitudo interveniat respectu pretii: secunda quod tempore contractus non esset venditor venditurus, sed tantum tempore creditæ solutionis, ut notarunt Glossa in præsentis, verbo Venditores: & in c. final. ubi Abbas num. 3. Berolius num. 1. Sotus lib. 6. de just. quæst. 4. art. 2. Covarr. libr. 2. var. cap. 3. n. 6. Gutierrez lib. 1. canonic. cap. 39. num. 2. Canisius de usur. cap. 3. per tot. & ita concurrentibus dictis duabus circumstantiis, rectè potest venditor aliquid amplius quàm res valeat de præsentis, accipere ad creditum: illis autem circumstantiis cessantibus, non poterit res ad creditum vendi carius, quàm valeat de præsentis; quia cum pretium rei existentiam comiteretur, & res secundum se, vel secundum suam naturam plus non valeat de futuro, quàm de præsentis, nisi habito respectu ad adjectas circumstantias, non autem simpliciter adtranscursum temporis, quia ut benè considerat Gutierrez ubi supra, num. 37. nulla Res publica ejusdem rei diversa pretia, ad creditum unum scilicet, & alre-

rum ad præsens constituerit; consequens est, injustum, & iniquum merito censerit carius ad creditum quam de præsentem vendere, cum res unius, & eisdem existentia, & valoris uno & altero tempore consideretur, nisi, ut jam diximus, concurrentibus, & expensis dictis duabus circumstantiis, ut infra dicemus. Hoc autem, quod affirmamus, licere ex dictis duabus circumstantiis rem carius vendere ob dilatam solutionem, non in immensum accipiendum est, sed ut vendens possit recipere quantitatem iusti pretii rigore, vel supremi; non verò ad libitum, ut resolvunt Molina *di. disput. 355*, Lelsius *di. lib. 2. de just. cap. 21. dubit. 6.* Ampliatur etiam præsens doctrina, ut ex eadem ratione procedat respectu emptoris, qui propter anticipatam solutionem emit rem viliori pretio; in eo siquidem casu, similiter consideratur virtuale, vel præsumptum mutuum, & ferè magis expressum in emptore, quam venditore: qui enim ita emit, & anticipatè solvit, mutuare creditur usque in diem, quo res vendita est tradenda; unde ex eisdem regulis, quod venditori licet, emptori etiam concedendum est: quoniam quod in uno correlativorum statuitur, ad alterum trahitur, ut notant communiter Doctores in *leg. final. C. de indult. viduit.* Quoties igitur incertum est res, quæ anticipatè solutione emuntur, plus, vel minus valituras esse tempore traditionis, cessat usura, & iniustitia contractus, dummodo pretium non sit infimum omnino, id est minus iusto pretio infimo; ita etenim in emente, & vendente declaranda est communis hæc sententia, quam ad varios casus in praxi obvios exponunt Leothardus *d. g. 24. per tot.* Araujo *d. g. 6. disp. 1.* & Barbosa *6. tom. in select. ad hunc textum.*

6.  
Traditur ratio de-  
cidendi

Unde jam apparet vera ratio præsentis assertio-  
nis; nam licet hoc casu, cum carius res venditur ob  
dilatam solutionem, ex forma, & figura talis con-  
tractus nullum fœnus contrahi videatur; quid e-  
nim commune habet venditio mercium cum illi-  
cito fœnore; tamen quia non figura verborum in-  
spicienda est, sed contractus, & obligationis sub-  
stantia, & id quod verè gestum est, *leg. 3. in princ. l. 38. ff. de O. & A. l. 1. & per tot. Cod. plus valere quod agitur;* inde cum certum sit in hoc negotio fœnus occultari, & contrahi, atque ex tali mutuo palliato usura palliatè proveniant, ideò in præsentem impro-

bantur, tanquam si ex vero mutuo usurae perciperentur: & cum hæc præsumptio fœnoris usurarum cesset quando dubium est pretium rei venditæ in futurum, & venditor tempore contractus non est venditurus; quod licet tunc carius rem vendere absque eo, quod in tali venditione crimen usurarum suspicetur.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam præsens assertio procedit quoties ex solo tempo-  
re retardatæ solutionis majus pretium constituitur: ceterum si ratione lucri cessantis, vel damni emergentis augeatur rei pretium usque ad summam, tandè quæ interest, usura non committitur, quia hoc casu licitum est aliquid exigere supra iustum rei pretium ratione ejus, quod interit: ut enim in aperto mutuo hoc licet, ita & in hoc palliato permit-  
titur, ut probat Molina *di. disput. 355. num. 4.* Salas *de emptio. dub. 41. num. 4.* Gaspar Rodriguez *de annuis reddit. lib. 3. quest. 7. num. 34.* Proinde si quis rem fructiferam vendat, ut ferè sunt res immobiles, & fide de pretio habitæ rem tradat, potest pro modo, & portione fructuum, quas usque ad tempus cedentis solutionis percepisset, rei pretium augere, nec committit usuram, ut docent Covarr. *di. lib. 2. cap. 3. num. 7.* Gutierrez *de jurament. c. 2. n. 6.* Scaccia *de commerciis, §. 1. q. 7. ampliar. 8.* nec enim venditor tenetur rem sine pretio dimittere, *l. ex empto. ff. de action. empti. leg. quod vendidi. ff. de contrahend. empt. l. 31. §. idem Marcell. ff. de adilit. edict.* Immo licita est conventio inita à principio contractus de certo interesse præstando ob dilatam solutionem, ita ut emptor se obliget ad solvendum venditori quinque, vel septem pro centum, dum integrè pretium non solverit, dummodo hoc interesse taxatum sit verisimile, & probabile, consuetumque juxta morem regionis, in qua celebratur contractus, ut probat plures Carleval. *tom. 2. de judiciis. tit. 3. disp. 8. sect. 5. per tot.* Nec obstat quod dicebamus, naturaliter licere contrahentibus ad invicem se decipere; nam hoc procedit, ut dixi in *cap. 3. de emptio. & vend.* dum intra metas, & leges ipsius contractus decipio contingat, non verò ubi verbis celebratur unus contractus, & alius simulatur, ut in præsentem contingit; cum venditio extrinsecus simulatur, & verè mutuum celebratur, pretio ob dilatam solutionem aucto.

## CAPUT VII.

<sup>a</sup> Idem.

PRæterea parochianis vestris usuram accipere omnimodis interdicatis, quia usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestatur. Quod si monitis vestris parere contempserint, si clerici sunt, eos ab officio & beneficio suspensos, cum literis rei veritatem continentibus ad præsentiam nostram mittere non differatis: si laici fuerint, usque ad dignam satisfactionem, ipsos excommunicationis vinculo constringatis.

## NOTÆ

I. <sup>a</sup> *Idem.* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 9.* ubi additur *pars capituli Licet universis;* unde colligitur in præsentem referri partem textus in *cap. licet. 23. de test.* integra ejus textus extat in *Concil. Lateran. part. 20. c. 2.*

## COMMENTARIUM.

GRAVITATEM hujus criminis, necnon penas contra usurarios statutas in Concilio Lateran. retuli in *cap. 3. hoc tit.* quare in præsentem tantum agendum est de aliis pœnis statutis contra ipsos, tam jure canonico, quam civili, necnon & regio: & jam primis sæculis Ecclesia severissimis pœnis hoc

hoc crimen castigavit, tam in clericos, quàm in laicos, siquidem Apostoli canone 44. sacros ministros usuris deditos deponi, & abdicari iusserunt: quam abdicacionem ad omnes clericos protraxerunt Patres Concilii Nicæni 1. can. 17. cui abdicacioni abstinentiam à communione, seu privationem communionis Ecclesiæ adjunxerunt in Concilio Arelat. 1. can. 12. Arelat. 2. can. 14. & gradus ecclesiastici privationem determinarunt Concilium Il-  
 liberit. can. 20. Tarracon. can. 10. Aurel. 3. can. 6. Trul. can. 10. quorum verba refert Ant. Aug. in e-  
 pit. jur. libr. 35. tit. 6. nec possunt usurarii ad sacros ordines ascendere, nec officia ecclesiastica obtine-  
 re, cap. inter dilectos de excessibus Prælat. Salcedo  
 in praxi. cap. 91. Barbof. de potestat. Episcop. alleg.  
 43. num. 3. Petrus Gregor. libr. 3. de usur. cap. 1. num.  
 3. & si jam clerici hi ordinibus initiati, aut ad be-  
 neficia promoti reperiuntur, tam ab officio, quàm à  
 beneficio suspenduntur, ex præsentis textu; & si sic  
 moniti pergant in hoc scœnore exercendo, ab offi-  
 cio, & beneficio deiciuntur, cap. 1. & 2. 47. dist. cap.  
 si quis. cap. quoniam 14. quest. 3. cap. 1. hoc tit. Quem  
 textum cum præsentis ita conciliat Fragofo de regi-  
 mine part. 1. libr. 2. dist. 4. §. 21. Laici autem ex-  
 communicantur, & nisi satisfecerint, ad pœnitentiam  
 non admittuntur, cap. fin. §. fin. hoc tit. in 6.  
 & si ita indurati decedant, sepultura ecclesiasticâ  
 privantur, cap. 3. hoc tit. cap. quamquam, eodem tit.  
 in 6. Clementina 1. eod. tit. Petrus Greg. lib. 33. syn-  
 tag. cap. 23. num. 32. testamenta ab eis condita nulla  
 sunt, ut dicemus infra. in cap. tua. Jure etiam  
 civili usurarii puniuntur pœnâ infamiæ, ex con-  
 stitucione Diocletiani, & Maximi in l. improbum

20. Cod. ex quibus causis infam. ibi: *Improbum scœnus  
 exercentibus, & usuras usurarum exigentibus, in-  
 famia macula irroganda est.* Quâ in pœna imi-  
 tati sunt Imperatorem Augustum, qui quosdam  
 usurarios infamiâ notavit, ut refert Suetonius in  
 eo, & ex ipso Petrus Herodius lib. 3. rerum judic.  
 tit. 11. c. 4. eandem pœnam approbarunt Innoc. II.  
 in Synodo Romana can. 13. & Innoc. III. in c. inter,  
 de excess. Prælat. Unde eo jure attento repellun-  
 tur usurarii à dignitatibus, ex l. 2. & 6. C. de digni-  
 tat. lib. 12. intestabiles redduntur, ex l. 3. & 5. ff. de testi-  
 bus. Docuerunt Farinac. de testibus q. 56. num. 352.  
 Salmasius de scœnore trapezit. lib. 2. Etiam extra or-  
 dinem puniuntur, l. 1. §. expilatores, ff. de effraкторi-  
 bus: docent Canif. de usur. cap. 8. Leorhardus eod.  
 tract. qu. 100. quo jure antiquos Romanos usos  
 fuisse constat ex Livio lib. 10. ubi refert Aediles Cu-  
 rules quibusdâ scœnoratoribus diem dixisse, & bo-  
 nis multasse, & ex illis viam quandam quadrato  
 lapide stravisse: ex Catone & Sigonio refert Hero-  
 dius lib. 4. Pandect. tit. 10. cap. 1. Tandem jure no-  
 stro Regio usurarius pro prima vice pecuniam  
 mutuo datam sub usuris amittit, quæ cedit lucro  
 debitoris; & insuper similem quantitatem solvere  
 tenetur, quarum duæ partes fisco, tertia pars ac-  
 cusatori applicatur: pro secunda vice perdit dimi-  
 diam bonorum partem applicandam pro eisdem  
 dictis partibus: pro tertia verò vice privatur om-  
 nibus bonis eodem modo applicandis, & dividen-  
 dis, l. 1. & 14. tit. 2. lib. 8. ordin. l. 4. & 5. tit. 6. libr. 8.  
 Recopil. explicant Covarr. lib. 2. var. cap. 3. num. 2.  
 Avendanno de exeg. mandat. 2. part. cap. 29. D. Jo-  
 an Vela de delict. cap. final. num. 12.

## CAPUT VIII.

Idem Abbati, & fratribus <sup>a</sup> S. Laurentii.

CONquestus est nobis G. clericus præsentium lator, quod licet de quadam tērra, quam pater suus vobis obligavit, sortem vestram, deductis expensis, receperitis; terram tamen ipsam non sine derogatione vestra salutis, honestatis, & famæ, nihilominus detinetis. Inde est quod discretioni vestra p. A. f. p. m. quat. si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & ex fructibus ejus sortem vestram recepistis, prædictam terram memorato clerico, dilacione, & ap. cess. reddatis, & in pace, & quiete dimittatis, nisi fortè terra ipsa de feudo sit monasterii vestri.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> S. Ancti Laurentii. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 10. nullibi ta-

men exprimitur cujus ordinis esset monasterium hoc, aut in qua provincia casus hic contigerit: Textum hunc exposui in cap. 1. de feud. & in cap. cum contra, de pignor.

## CAPUT IX.

Alexand. III. Episcopo <sup>a</sup> Placentino.

TUa nos duxit fraternitas consulendos, quid sit de usurariorum filiis observandum, qui eis in crimine usurarum defunctis succedunt: aut de extraneis, ad quos bona usurarum asseris <sup>b</sup> devoluta. Tuæ igitur quæstioni literis præsentibus responde-  
 mus, quod filii ad restituendas usuras ea sunt districcione cogendi, quâ parentes si vive-  
 rent, cogerentur: id ipsum etiam contra hæredes <sup>c</sup> extraneos credimus exercendum.

## NOTÆ

1. <sup>a</sup> **Placentino.**) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 11.* Placentia inter nobiles, vetustaque Insubria olim Togata, modo Cispadanæ civitates merito numeratur, sita propè fluvium Trebiam, in amœna planitie, non longè à Pado: ideo Placentia dicta, quòd ubertas, & copia rerum, quâ nobilitatur præ cæteris, quammaximè placeret mortalibus, ut refert ejus originem reperens Ughel *tom. 2. Ital. sacræ. fol. 244.* Jam à primis Ecclesiæ sæculis Cathedrâ Episcopali decorata fuit, cujus Præsuli Mauricio dicto missa est præfens Decretalis.
2. <sup>b</sup> **Devoluta.**) Sed testamentum usurarii, nisi usuras restituat, aut de illis restituendis sufficienter caverit, ipso jure irritum est, etsi inter liberos, vel piæ causæ conditum sit, *cap. quanguam, hoc tit. in 6.* Menchaca *libr. 1. de success. creat. §. 1. num. 179.* Lugo *de justit. disp. 25. num. 70.* Molina *cod. tract. disp. 334. num. 11.* Gibalinus *libr. 1. de usur. c. 11. art. 2. num. 6.* Ergo non poterant bona usurarii in præfenti casu devolvi, aut pervenire ad hæredes extraneos. Pro cujus difficultatis solutione Osuald, *libr. 6. Donel. cap. 3. litt. S.* asserit in præfenti bona delata fuisse ab intestato consanguineis, quos appellat Pontifex hæredes extraneos, ad suorum differentiam. Sed verius dicendum est, prædictam pœnam privationis testamenti factionis activæ esse juris novi à Bonifacio VIII. statutam. Unde cum jure Decretalium talis pœna statutata non esset, ideo testamentum in præfenti casu sustineri potuit.
3. <sup>c</sup> **Hæredes extraneos.**) Consonant textus *in c. tua nos, cap. Michael, hoc tit.* sed obstat vulgare principium, quo docetur, hæredem ex delicto de-

functi nullo modo teneri, nisi quatenus ad eum ex delicto pervenit, vel si ilis cum defuncto contestata est, *l. unie. Cod. ex delict. defuncti l. ff. de privat. delict. §. non tamen. Insti. de perpet. & tempor.* Cui difficultati respondendum est, principium illud procedere quando agitur contra hæredem actione ex delicto descendente, ad pœnam: quia cum personam delinquentis pœna egredi non debeat, *l. sancimus 22. Cod. de pœnis:* hæres tali actione non tenetur, nisi quatenus ad eum pervenit, non autem idem procedit in obligationibus, quæ descendunt ex contractu, vel quasi contractu defuncti, illæ enim etiam in hæredes transeunt, *l. ex depositi 11. ff. de O. & A.* quamvis tales obligationes cum delictis misceantur, *l. ex contractibus, ff. eod. tit.* Menchaca *Illustr. cap. 96. num. 27.* Canisius *de usur. cap. 7. num. 4.* Unde cum usurarius teneatur ad restituendas usuras conditione indebiti, *l. si non sortem 26. ff. de cond. indeb.* & hæc conditio ex quasi contractu descendat, *§. item is, Insti. de obligat. qua ex quasi contractu, l. 2. l. si in area 33. ff. de cond. indeb.* necessariò hæres restituere tenetur eas. Accedit, nam restitutio usurarum non fit ratione pœnæ à jure statutæ, sed ejus obligatio à natura ipsa provenit, ut probavi supra *in cap. 1. & ideo hæredes tenentur restituere ipsas usuras.* Si autem plures sint, non tenentur singuli nisi pro rata portione hæreditatis, non autem in solidum, etiam si aliqui hæredes nolint restituere. Covarruvias *libr. 3. variar. cap. 3. num. 6.* Rebellus *2. part. de justit. libr. 8. cap. 16. sectio. 2.* qui rectè docent, eum ad quem de bonis defuncti nihil obvenit, non teneri ad restitutionem. Quatenus autem hæredes teneantur exonerare conscientiam defuncti, exposui *in cap. parochiano, de parochiis.*

## CAPUT X.

Urbanus III. <sup>a</sup> **Brixien. presbytero.**

**C**onsuluit nos devotio tua, in quo sacerdotalis officii sollicitudinem commendamus, an ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui non aliàs mutuò traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventionione cessante, plus tamen sorte recipiat: & utrum eodem reatu criminis involvatur, qui ut vulgò dicitur, non aliàs parabolam iuramenti concedit, donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat. Item & an <sup>b</sup> negotiator pœnâ non ab simili debeat condemnari, qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixi temporis dilatio prorogetur, quàm si ei incontinenti pretium persolvatur. Verùm quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucae manifestè cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuam, nihil inde sperantes; hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter accepta sunt restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **Brixien. si.**) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 12.* De Brixien. diœcesi egi *in cap. sue, de procurat.*

<sup>b</sup> **An negotiator.**) Præfentem textus partem exposui supra *in cap. in civitate.*

<sup>c</sup> **Restituenda.**) Juxta tradita *in cap. final. de simon. ubi* textum huic exposui.

## CAPUT XI.

Innocent. III. *a* Archiepiscopis, & aliis Ecclesiarum Prelatis in Regno Francie constitutis.

Quam perniciosum sit vitium usurarum, discretionem vestram non credimus ignorare, cum præter constitutiones canonicas, quæ in earum odium emanarunt, per Prophetam detur intelligi, eos, qui suam dant pecuniam ad usuram, à tabernaculo Domini *b* repellendos: & tam in *c* novo, quam in veteri Testamento prohibita sint usuræ; cum *d* Veritas ipsa præcipiat: Mutuum date nihil inde sperantes: & per Prophetam dicatur: Usuram, & omnem superabundantiam non accipies. Inde est, quod universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus *e* manifestos usurarios, eos maximè, quos usuris publicè renunciassè constiterit, cum aliquis eos convenit de usuris, nullius permittatis appellationis *f* subterfugio se tueri. Datum Later. v. Kal. Novemb.

## NOTÆ.

- i.* *a* *Archiepiscopis.* ) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & in ipsis epistolis Innocentii editis à Sirleto, *fol. 198.* ex quo registro restituo litteram huius textus.  
*b* *Repellendos.* ) Psalmo 14.  
*c* *Novo, quam in veteri.* ) Ut probavi in *cap. 3. hoc tit.*  
*d* *Veritas ipsa.* ) Dominus noster apud Lucam *cap. 6.*  
*e* *Manifestos.* ) Quinam dicantur manifesti usurarii, exposui in *cap. 3. hoc tit.*

*f* *Subterfugio.* ) Quod procedit in appellatione interposita ab usurario, dumtaxat ad vitandam sententiæ executionem; quia tales appellationes frustratoriae, seu ludificationes rejiciuntur; nam si appellatio justam causam haberet, quia exciperet reus, nullas se ab eo, qui petit, usuras exegisse; & cum satis probatum non fuisset ab actore, nihilominus damnatus fuit, aut quid simile opponat: appellationis remedium non est denegandum. Unde rectè notavit Binsfeldius in *presenti*, in hac parte nihil speciale cautum fuisse circa usurarium. Quod & docuit Gibalinus *lib. 1. de usur. cap. 11. art. 3.*

## CAPUT XII.

Idem *a* Nabornensi Archiepiscopo & suffraganeis eius: Abbat. quoque, Prioribus, & aliis Eccles. Prælat. Comitibus etiam, & Baron. & universo populo in Narbonensi provincia constitutis.

Post miserabile Hierosol. regionis excidium, post lachrymabilem stragem populi Christiani, post deplorandam invasionem illius terræ, in qua pedes Christi steterunt, & ubi Deus Rex noster ante sacula salutem in medio terræ dignatus est operari; post ignominiosam nobis unice Crucis translationem, in qua salus mundi pendit, & delevit chirographum mortis antiquæ; Apostolica Sedes super tantæ calamitatis infortunio conturbata laboravit clamans, & plorans. Itaque præ incessanti clamore rauca facta sunt fauces ejus, & ex vehementi ploratu plene ipsius oculi defecerunt. Verum ne si secundum Prophetam Hierusalem obliti fuerimus, obliviscatur nos dextera nostra, adhæreat lingua nostra faucibus nostris; si non M. ejus clamat, adhuc Apost. Sedes quasi tuba vocem exaltat, excitare cupiens populos Christianos ad prælium Christi bellandum, & vindicandam injuriam Crucifixi, usa ipse verbo dicentis: O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. Ecce enim hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos devenerunt, via Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem, facti sunt inimici ejus in capite; sepulchrum Domini, quod Prophetam gloriosum fore prædixit, prophanatum ab impiis, inglorium est effectum. Gloria nostra, de qua dicit Apostolus: Mihi sunt a. g. n. m. e. d. n. i. x. sub manu tenetur hostili, & ipse Dominus Iesus Christus, qui captivitatem nostram pro nobis moriens captivavit, quasi captivatus ab impiis, ab hæreditate sua cogitur exulare. Existente quondam in Castris Acham Domini sabaoth, Urias domum suam ingredi recusavit, à licito etiam uxoris se compescens amplexu. Nunc verò Principes nostri, gloria Israël

de



de loco suo in injuriam nostri translata, vacant adulterinis amplexibus, deliciis, & divitiis abeuntes, & dum se invicem inexorabili odio persequuntur, dum unus in alium suas nititur injurias vindicare, non est quem moveat injuria Crucifixi: non attendentibus ipsis, quia jam insultant nobis inimici nostri dicentes: Ubi est Deus vester? quinec se potest, nec vos de nostris manibus liberare. Ecce jam prophanavimus sancta vestra: ecce jam ad desiderabilia nostra manum extendimus, & ea loca impetu primo violenter invasimus, & vobis tenemus invitis, in quibus superstitionem vestram principium fingitis suscepisse: jam infirmavimus, & confregimus hastas Gallorum, Anglorum conatus elisimus, Teutonicorum vires compressimus, nunc secundo Hispanos domuimus: & cum omnes virtutes vestras in nos duxeritis concitandas, vix adhuc in aliquo profecistis: ubi ergo est Deus vester? Exurgat nunc, & adjuvet vos, & fiat vobis, & sibi protector. Teutonici siquidem, qui se præsumebant inauditum de nobis reportare triumphum, ad nos vehementi spiritu transferarunt: & cum solum castrum Baruth, nullo defendente cepissent, nisi eos, sicut & alios Principes vestros, fugæ beneficium liberasset, in se potentiam nostram graviter fuissent experti, & eorum fragem ipsorum soboles perpetuo deploraret. Reges enim, & Principes vestri, quos dudum de terra fugavimus Orientis, ut timorem suum audivendo dissimulent, ad suas latebras (ne dicamus regna) reversi, malunt se invicem expugnare, quam denuo vires nostras, & potentiam experiri. Quid igitur superest, nisi ut his, quos fugientes in excusationem vestram ad terræ custodiam dimisistis, gladio ultore peremptis, in terram vestram impetum faciamus, nomen vestrum, & memoriam perdituri? Qualiter ergo fratres, & filii opprobria exprobrantium repellimus? qualiter eis poterimus respondere? cum eos pro parte verum prosequi videamus, sicut nuper ad audientiam nostram certâ significatione pervenit? Recepimus enim litteras de partibus transmarinis, quod cum Teutonici Accon navigio pervenissent, Castrum Baruth obtinuerunt nemine defendente. Sarraceni verò in Ioppen facientes impetum, ex adverso eum per violentiam occuparunt, & cæsis multis Christianorum millibus, eam funditus destruxerunt. Verum Teutonici rumoribus de morte Imperatoris acceptis, non expectato passagii tempore, naves reduces ascenderunt. Unde Sarraceni qui ad resistendum eis exercitum paraverant copiosum, in terram Christianorum adeo debacchantur, ut Christianis nec sine periculo civitates egredi liceat, nec in ipsis sine formidine remanere; immò eis gladius foris imminet, metus intus. Assumite igitur filii spiritum fortitudinis, scutum fidei, & galeam salutis accipite, non in numero, aut viribus, sed Dei potius, cui non est difficile in multis, vel in paucis salvare, potentiâ confidentes: & ei per quem estis, vivitis, & habetis, secundum facultates proprias subvenite. Ipse quidem pro vobis semetipsum exinanivit formam servi accipiens in s. ho. f. & ha. i. ut homo factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; & vos eo paupere abundatis, ipso fugato quiescitis, & nec inopi, nec exuli subvenitis. Quisquis igitur in tantâ necessitatis articulo suum negaverit obsequium Iesu Christo, cum ante tribunal ejus asiterit judicandus, quid ad suam excusationem ei poterit respondere? Si Deus subiit mortem pro homine, dubitabit homo mortem subire pro Deo? cum non sint condignæ pasc. h. f. ad f. g. quæ re. in nobis? Negabit etiam servus domino divitias temporales, cum dominus servo divitias largiatur aternas? quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Thesaurizet igitur homo thesauros in cælis, ubi fures non effodiunt, nec furantur; ubi nec ærugo, nec tinea demolitur. Omnes, & singuli accingantur, atque in proximè sequenti Martio, qualibet urbes per se, similiter & Comites, & Barones juxta facultates proprias ad defensionem terræ nativitatis Dominicæ certum in expensis suis dirigant numerum bellatorum, illic saltem per biennium moraturorum. Licet autem instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, modò tamen hanc quasi præcipuam inter alias sollicitudines reputamus, per quam terræ Orientali totis desideramus affectibus subvenire: ne si fortè fuerit dilata subventio, residuum locustæ comedat brucus, & fiant novissima deteriora prioribus. Verum ne nos aliis onera gravia, & importabilia imponere videamur, digito autem nostro ea movere nolimus, dicentes tantum, & aut nihil, aut minimum facientes, cum qui fecerit, & docuerit, & magnus vocetur in regno cælorum: cujus exemplo, qui cepit facere, & docere, ut & nos qui (licet immeriti) vicem ejus exercemus in terris, bonum aliis præbeamus exemplum, in personis pariter & in rebus Terræ sanctæ decrevimus subvenire, dil. fil. nost. sanctæ Praxed. Presbit.

&amp;

& P. S. M. in Via Lata Diacon. Card. viris utique timoratis, scientiâ, & honestate præclaris, potentibus in opere & sermone, quos inter alios fratres nostros speciali charitate diligimus, manu propriâ crucis signaculum imponentes: qui exercitum Domini humiliter, & devotè præcedant, & non mendicatis suffragiis, sed nostris, & fratrum nostrorum sumptibus sustententur: per quos etiam aliud competens subsidium eidem Terræ disponimus destinare. Interim autem dictum sanctæ Mariæ in Via Lata Diacon. Card. ad charissimorum in Christo filiorum Francorum, & Anglorum Regum Illustrium præsentiam destinamus, ad reformandam pacem, vel treguas, saltem usque ad quinquennium ordinandas, & exhortandos populos ad obsequium Crucifixi. Dictum autem sanctæ Prædixis Presbyt. Card. Venetias pro Terræ sanctæ subsidio destinamus. De communi præterea fratrum nostrorum deliberatione statuimus, & vobis fratres Archiepiscopi, & Episcopi, & dil. fil. Abbates, Priores, & alii Ecclesiæ Prælati, districtè præcipiendo mandamus, quatenus certum numerum bellatorum, vel pro certo numero certam pecuniæ quantitatem in proximè sequenti Martio, pensata facultate cujuslibet, ad expugnandam paganorum barbariam, & servandam hereditatem Domini destinatis, quam ipse proprio sanguine comparavit. Si quis autem (quod non credimus) constitutioni tam piæ ac necessariæ præsumpserit obviare, sicut sacrorum canonum transgressorem decernimus puniendum, & usque ad satisfactionem condignam, ab officio censemur manere suspensum. De Dei ergo misericordia, & beatorum Apostolorum, Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis Deus (licet indignis) ligandi & solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint, & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus oris, & cordis egerint penitentiam, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantum expensis juxta facultatem, & qualitatem suam viros idoneos destinaverint, illic saltem per Biennium moraturos; & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidii, ac præcipuè secundum devotionis affectum, qui ad subventionem illius terræ de bonis suis congruè ministraverint. Bona insuper ipsorum, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri, & nostræ protectione suscipimus, nec non ut sub Archiepiscoporum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant, statuimus, ut donec de ipsorum obitu, vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quod si quisquam contra præsumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postpositâ compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, vos fratres Archiepiscopi, & Episcopi per vestras dioceses creditores eorum, sublato appellationis obstaculo eadem districtione cogatis, ut eos à sacramento penitus absolventes, ab usurarum ulterius exactione desistant. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum sublato appellationis obstaculo, districtione simili compellatis. Iudæos verò ad remittendas ipsi usuras per vos, filii Principes, & sæcularem compelli præcipimus Potestatem, & donec eis remiserint, ab universis Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quam aliis per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Ab hoc igitur opere nullus omnino se subtrahat, cum id non à nobis, sed ab ipsis fuerit Apostolis institutum, qui collectas faciebant in gentibus, ut fratribus in Hierusalem laborantibus subvenirent. Nolumus autem vos de divina misericordia desperare, quantumcumque sit Dominus peccatis nostris iratus, quin in manu vestra perficiat, si (prout debitis) in humilitate cordis, & corporis iter fueritis peregrinationis aggressi, quod majoribus non concessit. Consensissent enim majores forsitan, & dixissent: Manus nostra excelsa, & non Deus fecit hæc omnia; & sibi, non Deo victoriæ gloriam adscripsissent. Speramus enim, quod non in ira misericordias continebit, qui cum iratus est, non obliviscitur misereri, nos admonens, & exhortans: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Credimus etiam, quod si ambulaveritis in lege Domini, non eorum sequentes vestigia, qui vani facti sunt, post vanitatem euntes, qui commensationibus, & ebrietatibus voluptuosè vacabant, & ea exercebant in partibus transmarinis, quæ in terra nativitatis propriæ sine multa infamia, & detractione plurima non auderent; sed spem vestram in eo solummodo posueritis, qui non deserit sperantes in se, non tantum ab illicitis, sed

quibusdam etiam licitis abstinentes: is qui currum, & exercitum Pharaonis projecit in mare, arcus fortium infirmabit, & inimicos crucis à facie vestra delebit, ut lutum platearum: non nobis, aut vobis, sed nomini suo dans gloriam, qui est gloriosus in Sanctis, mirabilis in Majestate, faciens prodigia; & postlachrymationem, & fletum, gaudium, & exultationem inducens. Ad hæc expeditiis autem, & melius exequenda, vos fratres Archiepiscopo Nemaufen. & Auranen. Episcopo duximus deputandos, qui verbum Domini cæteris proponatis, & ad implendum mandatum Apostolicum Coepiscopos vestros & alios invitantes, taliter exequamini causam Domini, quod & vos hujus fidei remissionis participes, & in hoc devotio vestra plenius elucefcatur: ad quod etiam laudabilius exequendum, vobis unum de frat. Militia Templi, alterum verò de frat. Hierosol. Hospitalis, viros honestos, & providos assumatis, Dat. Reat. XVIII. Kal. Septemb. (In eundem modum scriptum est Lugdunensi, & Viennensi Archiepiscopis, Abbatibus quoque, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælati, Comitibus, & Baronibus, & universo populo in utraque provincia constitutis. In eundem modum universis de Regno Franciæ, Angliæ, Ungariæ & Siciliæ.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **N**arbonensi) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo cap. 2. & in epistolis Innocenti III. editis à Sirleto, fol. 163. ex quo registro restituo literam hujus textus.

## COMMENTARIUM.

2. **C**um jure naturali, & divino usurarum prohibita sint, ideo Iudæi tantum legem Moysi datam observantes, non possunt à Christianis usuras exigere; & si exegerint, cogendi sunt eas restituere à iudice ecclesiastico per subtractionem communionis Ecclesiæ, seu à Principibus sæcularibus per pœnas corporales, ut in præsentis textu statuitur, & in cap. quanto, infra hoc tit. docet Ricciulus lib. 2. de jure person. cap. 19. Barthius lib. 5. advers. cap. 3. Avendanno de censibus cap. 21. nu. 11. Petrus Gregorius lib. 2. de usur. cap. 5. Fachineus lib. 2. contro. cap. 48. Morla in emp. jur. tit. 8. quest. 25. Simon. Majolus dier. canicul. collog. 1. de perfid. Iudæorum, Binsfeld. in præsentis: nam licet de animabus eorum curandum non sit, quia de his, qui foris sunt, quid ad nos? ut ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 1. & constat ex cap. multi 2. quest. 1. cap. 1. gaudemus, de divortii; tamen iudices ecclesiastici, quando Iudæi peccant contra jus naturale, emungendo Christianos usque ad sanguinem, & occasione substantiarum suarum, per usurarum voraginem eos in egestatem detrudendo, poterunt ipsos Iudæos debitis pœnis afficere, ut probant Petrus Gregor. & Mayolus supra, Eymericus 2. part. direct. Inquisit. questione 46. Tiraq. de primog. quest. 61. num. 20. & licet in præsentis coërcitionem per iudicem sæcularem fieri debere doceatur; in his tamen verbis continetur quasi quædam comminatio, & brachii sæcularis imploratio, alioquin delicta mixti fori (ut est usura) à Iudæis perpetrata, puniri possunt non solum à iudice sæculari, verum & ab ecclesiastico, ut probant Farinac. in praxi seu fragment. crimin. verbo Iudæus, num. 663. Ricciulus de jure person. extragremium, lib. 2. cap. 52. nu. 6. Carena de officio Inquisit. 2. part. titulo 14. §. 2. qui alios dat. Nec contrarium probat textus in cap. quanto, hoc tit. in illis verbis: Graves immoderate usuræ: in quibus permitti videtur Iudæis usurarum exercitium, dum tantum illis prohibetur graves, immodera-

tate exigere. Nam omnia solutione Glossæ ibi, dum ait illa verba referenda esse ad usuras, quæ excedunt legitimum modum, cum certum sit, jure canonico attento, usuras etiam in parva quantitate prohibitas esse, verius respondendum est, in specie illius textus non posse sumi argumentum à contrario sensu, quia resultat absonus intellectus, & contrarium jure divino, naturali, & positivo reperitur expressum, argumento legis conventicula, Cod. de Episc. & cleric. l. 1. ff. de offic. ejus: illa namque verba, graves immoderate usuræ, referenda sunt ad quascunque usuras, quæ immoderate, & graves, atque pravæ censentur, ut probant Hostiens. & Joannes Andreas ibi. Exemplum est in usuris apud Romanos probatis, & permissis, quas maximas & graves appellant Jureconsulti in l. non existimo 54. ff. de administr. tutor. l. qui sine 38. ff. de negot. gest. Difficilior profecto est lex 22. tit. 12. part. 5. ubi expressè permittitur Iudæis usuras exercere. Cujus textus difficultatem præter Gregorium ibi, Neothericos juris nostri Hispani interpretes, ejus gravitate deterriti consulto prætermisissent exitimo, Gregorius in ejus textus glossa 1. ait, tempore illius legis ex generali consuetudine, permissione, & dispensatione Summi Pontificis, concessione Principum temporalium, ob bonum publicum, vel aliquam justam causam permissum fuisse Iudæis in hoc Regno usurarum exercitium. Quæ solutio nullo modo valet sustineri, quia nec Summus Pontifex potest id permittere Iudæis, ita ut ex ejus privilegio tale exercitium usurarum licitum sit, ut probavi in cap. 4. hoc tit. præsertim cum nec infideli occasio peccandi sit danda, ut patet ex cap. 12. lib. 2. Regum, & notari ut Conradus de contract. quest. 25. cum tribus sequent. Azevedo in l. 1. tit. 6. lib. 8. Recopil. num. 51. Covar. lib. 3. variar. cap. 3. nu. 8. Quæ solutione omnia verius dicendum credo, Alphonsum in dict. l. 22. partite, sequutum fuisse opinionem antiquorum, qui censuerunt, Principes sæculares posse concedere Iudæis exercitium usurarum, negareque creditoribus Christianis jus repetendi usuras ab eis, ut docuerunt Paulus Castrensis lib. 2. consil. 295. Alexander lib. 1. consil. 57. Sed cum hæc sententia injusta esset, juri quoque divino, ac naturali contraria, ideo prædicta lex 22. nunquam fuit in Hispania recepta, immò potius privilegium ibi concessum Iudæis ad exercendas usuras, penitus revocatum fuit à Regibus nostris

*in l. 3. tit. 2. lib. 8. ordin. l. 1. tit. 6. lib. 8. recopil. ubi notavit Azevedo. Nisi mavis dicere, dictæ legis 22. verba esse enunciativa, aliamque esse legislatoris intentionem, adversus quem videlicet debeat dari actio mandati, quando mandatum ce-*

*lebratur gratiâ mandantis, & mandatarii; & sic principaliter non agi in eo textu de exercitio usurarum permisso, vel non Judæis, argumento textus in l. ex facto 19. ff. de heredib. instir. Clement. unica de prob.*

## CAPUT XIII.

Idem <sup>a</sup> Mutin. Episcopo.

**T**Uas dudum ex parte tua recepimus quæstiones, quod quidam usurarii tuæ diocesis, quibus dant pecuniam ad usuram, præstare faciunt juramentum, quod usuras non repetant, & super his, quas solverint, nullam moveant quæstionem. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, ut usurarios ipsos monitione præmissa per censuras ecclesiasticas appellatione remota compellas ante usurarum solutionem ab earum exactione desistere, vel restituere ipsas postquam fuerint perfoluta, ne de dolo, & fraude sua contingat eos commodum reportare, qui ad hoc præstari faciunt juramentum, quod super usuris non valeant molestari.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **M** *Vinens.*) Ita etiam legitur in tertia col-

*lectione, sub hoc tit. 6. 2. De Mutinensi Ecclesia agi in c. 12. de tempor. ordin. & commentarium hujus textus dedi in c. 1. c. debitorum, de jurejur.*

## CAPUT XIV.

Idem.

**Q**uia frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem, statuimus, ut si quis usurarius à nobis literas impetraverit super restituendis usuris, vel fructibus computandis in sortem, nisi prius ipse restituerit usuras, quas ab aliis noscitur recepisse, auctoritate literarum ipsarum nullatenus audiatur.

## NOTÆ.

<sup>1</sup> <sup>a</sup> **I**dem.) Ita etiam legitur in tertia collectione *sub hoc tit. cap. 3.* Et cum præsens constitutio sit generalis ab Innoc. III. facta motu proprio, non ad alicujus casus decisionem, aut consultationem, non exprimitur cui dirigatur. Statuit autem Innocentius in præsentis, quod usurarius, qui usuras accepit, & etiam aliis ipse persolvit, si intendat repetere quas persolvit, non prius audiatur, quam ipse restituat quas accepit: atque idem etiam observatur, si fructus pignoris acceperit, nisi enim eos sorti imputaverit, arcetur à repetitione usurarum. Quod etiam observandum esse cum filiis & hæredibus usurarii cautum fuit in *cap. Michael, hoc tit.* Rationem hujus constitutionis assignat Innocentius in illis verbis: *Quia frustra auxilium legis invocat, qui committit in legem: l. auxilium 37. ff. de minor. l. isti 8. ff. de eo quod metus causa, l. scimus, §. si verò, ff. de jur. delib. c. constitutus, de appellat.* Et æquum est, ut quod juris in alium quis postulat, ipse sibi prius dicat, *l. 1. ff.*

*quod quisque jur.* Unde si usurarius intendit usuras à se solutas repetere à Scio, prius debet ipse restituere quas accepit à Titio. Quæ constitutio illustrari potest *ex l. in arenam. Cod. de inoffic. testam.* ubi pater arenarius non potest filium arenarium exheredare, quia alteri non potest opponere vitium, quo ipse laborat. *ex c. cum Apostolica, de except.* ubi cum opponeretur agenti ad possessionem præbendæ exceptio pluralitatis beneficiorum ab eo, qui plura beneficia obtinebat, respondit Pontifex, non esse talem exceptionem admittendam, siquidem opponens simili morbo laborabat: notavit Balboa in *c. 2. de except. n. 122.* Si quis tamen alieno nomine, ut pupilli, aut Ecclesiæ, seu universitatis, usuras solutas restitui petat, non potest hac exceptione repelli, quod ipse usuras exegisset, nec adhuc restituisset; nam tunc non repelleretur ille à judicio, sed ille cujus nomine agebat, ut docuerunt Panorm. in *c. Michael, hoc tit. n. 3.* Molina *tract. 2. de just. disp. 334.* Gibal. *lib. 2. de usur. cap. 11. art. 2. num. 8.*

## CAPUT XV.

Idem <sup>a</sup> Alvisiodorensi Episcopo

**C**um in diocesi tua sint quamplurimi usurarii, de quibus maximè dubitatur quin sint usurarii <sup>b</sup> manifesti, contra quos propter timorem Principum, & Potestatum, qui tuentur eosdem, nullus appareat accusator, iidem sunt per sententiam cond.

*D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.*

Hh 2 dem

condemnati, qualiter procedere valeas contra ipsos, oraculum duxisti Sedis Ap. requirendum. Nos autem f. t. t. respondemus, quod licet contra eos non appareat accusator, si tamen aliis argumentis illos constiterit esse usurarios manifestos, in eos poenam d. in Lateranensi contra usurarios editam Concilio, liberè poteris exercere.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **A**ltissiod. ) Ita etiam legitur in tertia collectione sub hoc tit. c. fin. De Altissiodorensi diœcesi egi in c. 14 de presump.

<sup>b</sup> **Manifesti.**) Quinam illi dicantur, exposui in cap. 3. hoc tit.

<sup>c</sup> **Accusator.**) Juxta tradita in c. evidentiæ de accusat. ubi commentarium hujus textus dedi, d. Lateran.) Relato in cap. 3. hoc tit.

## CAPUT XVI.

Idem Electo V. de<sup>a</sup> Orlonen.

**S**alubriter. Et infra: Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi sunt à focero pro numerata dote b pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis c fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **O**rlonen. (Ita legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 1. & cum præfens epistola non reperitur inter epistolas editas à Sirleto, & Bolquero, cognosci non potest de quo Episcopo tantum electo in præfenti agatur.

<sup>b</sup> **Pignori.**) Et si fidejussor pro dote dari nequeat, pignus tamen ad ejus securitatem constitui valet, ut probavi in cap. 6. de pignor.

<sup>c</sup> **Dotis fructus.**) Quos ex rebus dotalibus perceptos constante matrimonio maritus suos facit ratione domini, quod in dote habet, & pro sublevandis oneribus matrimonii, l. dotis 7. l. plerumque 10. §. sed fetus 3. l. cum in fundo 78. ff. de jure dot. l. pro oneribus 20. l. final. §. præterea 2. C. cod. tit. l. fructus 7. l. si fundus 8. l. in insulam 42. §. fructus, l. usufructu 57. l. final. ff. solut. matrim. l. unie. §. cumque 9. Cod. de rei uxor. action. l. 26. cum sequenti. ii. part. 4. Desideratur tamen, ut res dotalis marito tradita sit, aliàs si tantum promissa fuerit, fructus non lucratur, l. de divisione 5. ff. solut. matrim. Item requiritur ut matrimonium sequutum sit, nec præcedens dotis traditio sufficit d. l. dotis 7. §. fin. cum l. sequenti, ff. de jure dot. l. si ante 6. ff. solut. matrim. l. 1. §. Et primum secundo, cum §. sequenti, ff. pro dote. Quare fructus percepti antea non cedunt lucro mariti, sed augent dorem ipsam, l. videamus 38. §. ante 12. ff. de usur. Præcipuè etiam desideratur, quod maritus sustineat onera matrimonii, & propriis sumptibus alar uxorem, l. in insulam, §. usuras 3. ff. solut. matrim. juncta l. si quis 21. §. ult. ff. de donat. inter. l. final. in princip. ff. de dolo except. Ideoque si usura dotis à focero promissæ sint genero quamdiu dos ei solvatur, & mulierem non aluerit vir, sed focer, improbè ab eo usuras petit, l. cum post 69. §. in domum 3. ff. de jure dot. quia fructus & usura, quæ pro fructibus promittuntur, cedunt pro oneribus matrimonii, l. si maritus 46. ff. famil. ercisc. l. dotis 7. d. l. pro oneribus 20. docent Donell. lib. 14. comment. cap. 7. ubi Osvaldus Treutlerus vol. 2. select. disp. 7. thesi 9. Cujac. tit. Cod. de jure dot. in princ. & in l. unie. §. cumque, Cod. de rei uxor. Campegius de dote 2. part. quest. 12. Constantius Rogerus eod. tract. quest. 16. Franc. Hothom. in disp. de dotibus, Paul. post medium, Fontanel. de pact. nupt. claus. 6. glos. 2. per ros. P. Barbosa in d. l. de divisione 5. Galbanus de usu-

fruct. c. 22. quomodo autem fructus pendentes solo matrimonio dividantur, exponunt Osvaldus in dist. c. 7. Donell. lib. E. Eicobar tom. 2. de ration. comput. 9. Alvarus Valascus in praxi part. c. 29. Benedictus Pinel. lib. 5. select. cap. 2.

## COMMENTARIUM.

**C**um certum sit, creditorem teneri imputare in sortem principalem fructus perceptos ex re sibi pignori data, ut probavi in cap. cum contra, de pignor. difficilis merito visa est Doctoribus tam Jurisperitis, quam Theologis præfens decisio, dum in ea Innocentius III. docet maritum non teneri imputare in dorem fructus perceptos ex pignore pro dote securitate à focero datos: quare varias huic decisioni assignarunt interpretationes Gomez, in l. 50. Tauri, p. 30. Castillo 3. controv. c. 23. Valascus consult. 8. per ros. Canisius de usur. cap. 6. num. 6. alii congehi à Barbosa in præfenti: quibus addendi sunt Cyriacus lib. 1. controv. 80. Leothard. de usur. cap. 28. per totum. Fontanel. de pact. nupt. claus. 6. gloss. 2. part. 6. Hermosilla in l. 10. tit. 1. p. 5. gloss. 2. num. 149. Giurba decis. 72. Gutierrez de delict. qu. 91. Acosta de privil. credit. regul. 3. limit. 2. per ros. Carleval. lib. 1. de judiciis, tit. 3. disp. 8. num. 20. Gibalinus de usur. lib. 4. cap. 5. art. 15. consell. 6. Pluribus placuit præfentem textum procedere favore matrimonii: quæ doctrina nullo modo defendi potest; tum quia contractus, de quo in præfenti, non est usurarius, ut infra dicemus: tum etiam, quia usura propter nullam causam piam, & favorabilem exerceri potest, cap. super eo 4. hoc tit. Fortunius Garcia de ultimo fin. illat. 6. textum hunc sic accipit dum ait, præfentem textum procedere ratione tacitæ donationis, quam fecit focer genero fructuum pignoris pro dote securitate traditi. Quæ præsumptio donationis nascitur ex eo, quod pater tenetur filia dorem dare, aut alimenta præstare, l. final. C. de dotis promiss. l. qui liberos 30. de ritu nupt. Verum hæc interpretatio minimè sustineti valet: tum quia Innocent. III. cum interrogatus fuisset de jure, nihil respondit de donatione; sed quid juris ratio in præfenti casu dictabatur: tum etiam quia si vera esset dicta sententia, sequeretur inde fructus pignoris interesse dotis excedentes, ab ipso genero in sortem computandos esse. Aliis communiter placuit in præfenti casu

casu generum fructus lucrari vi tacita: conventionis in compensationem damni emergentis, ex eo quia interim dum sibi dos non solvitur, ex proprio patrimonio sustinet onera matrimonii, quæ ex dote, vel dotis fructibus sustinere debebat: & consequenter recipit pignoris fructus in compensatione lucri cessantis; siquidem si statim cum promissa fuit dos, sibi solveretur, posset maritus cum ea negotiari, & ex tali negotiatione lucrum sufficiens acquirere ad sustentanda onera matrimonii. Ita docuerunt Alexander in *lin insulam*, §. *usuras*, num. 3. ff. *solut. matrim. & consil.* 27. Tiraq. de *urrog. retract.* tit. 1. glof. 18. num. 71. Plotus de *in litem jur.* §. 11. num. 29. alii congesti à Cenedo collecti. 14. ad *Decretal. Covarr. 3. var. cap. 5. num. 3.* Fontanella de *patr. nupt. clausul. 6. gloss. 2. part. 6.* Farinac. in *repor. posthum. de contract. quest. 34.* Noguierol. *alleg. 17.* Castillo de *aliment. cap. 49. 50. & 51.* Sed hæc interpretatio facillè convincitur, quoniam ad hoc ut debeatur interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, requiritur quod præcedat culpa, vel mora debitoris, aut pactio inter eum, & creditorem, ut in *l. 2. §. final. ff. de eo quod certo loco, cap. 2. de offic. ordin. in 6. cap. dilecti, de foro comper.* & post alios docent Aravio in *99. moral. dispur. 1. de statu civili quest. 1.* quin immò & requiritur probatio talis damni emergentis, vel lucri cessantis, ut post antiquiores docuerunt Andreas Gaillus *lib. 2. obs. cap. 6.* Canisius de *usur. cap. 5.* quæ omnia deficiunt in præsentis casu, siquidem nullâ pactione præcedente, aut probatione oblata damni emergentis, asserit Pontifex generum lucrari fructus pignoris pro dotis securitate constituti. Tandem alii docuerunt, in præsentis casu maritum fructus percipiendo usuras non committere, quia in hoc casu nullum intervenit mutuum, nec formale, vel expressum, nec fictum, aut palliatum: quibus mutui speciebus non intervenientibus committi non potest usura. Verùm hæc interpretatio etiam convincitur; nam potius in præsentis casu præsumitur, fide habita de dote mutuum contracti, aliàs quo jure maritus posset percipere fructus pignoris, nisi præsumendo per fictionem brevis manus dotem marito solutam fuisse, & eam statim sub pignoribus mutuasse.

Quare his, & aliis sententiis omissis, ut veram præsentis textus rationem assignemus, præmittendum est, maritum, cui dos promissa non solvitur, non teneri sustinere onera matrimonii; immò patrem seu extraneum dotem promittentem marito teneri, dum dos non solvitur, onera matrimonii supportare. *l. si is, quem 57. §. 1. ff. de jure dot. l. si filiatio 20. §. 1. l. si maritus 47. ff. famil. ercisc.* probant Felicianus de *cenfibus lib. 2. c. 5.* Petr. Barb. in *rubric. solut. matrim. part. 1. à n. 68.* Arias de *Mela lib. 3. var. cap. 46. n. 20.* Deinde præ-

mittendum est, quod si ab initio; cum de dotis constitutione agitur, conventum sit inter maritum & dotem constituentem ut dos intra mensem, vel annum solvatur, pignoribus datis, et si interim sustineat onera matrimonii, non tamen ideo potest fructus pignoris lucrari, aut usuras dotis petere, nisi pactum intercesserit, ut interim dum dos non solvitur aliquid interessis nomine solvatur: quod pactum latè probat, & defendunt Sesse *tom. 1. decis. 68. per tot.* Gibal. *lib. 4. de usur. cap. 5. art. 15. consell. 3. per tot.* in præsentis autem textu dos de præsentis constituta fuit nullâ temporis dilatione datâ patri ad ejus solutionem. Quibus præmissis apparet vera ratio, quare in præsentis maritus fructus pignoris percipere possit, nec teneatur eos in dotem imputare, quia videlicet eos recipit non ratione mutui, nec dilatae solutionis, sed ex ea causa, quia scilicet uxorem aluit, & cætera omnia sustinuit absque dote, quæ sustinere debebat focer. Quare quid mirum si gener ex rebus loceri, videlicet ex fructibus pignorum, onera matrimonii sustinuit, quæ pater sustinere debebat; ideo non tenetur similes fructus imputare in sortem principalem. Ita docuerunt Felicianus de *cenfibus tom. 1. lib. 2. c. 5. n. 29.* Gaspar Rodriguez de *annuis reddit. lib. 3. quest. 7. à n. 41.* Arias de *Mela dict. 1. 3. var. cap. 46. n. 20.* Tota ergo ratio, quare in præsentis casu ritè, & rectè maritus lucratur fructus pignorum, consistit in eo, quia sustinet onera matrimonii, quæ focer sustinere debebat. Unde dubitatur, an cessionarius mariti possit etiam fructus ipsos lucrari, nec imputare teneatur in sortem principalem. Et etiam in cessionarium hoc privilegium transire docuerunt Rodriguez *ubi supra num. 59.* Felicianus *dict. lib. 2. cap. 5. Sesse dict. decis. 68. num. 25.* Amatus *resol. 49. num. 81.* Sed rectius contrarium docuerunt Valascus *tom. 1. consult. 8. num. 6.* Guzman. de *evict. quest. 10. num. 46.* Cancerius *part. 1. variat. cap. 3. num. 61.* Gibalin. *dict. art. 15. consell. 9.* Olea de *cess. jur. tit. 6. quest. 2. num. 43.* Leochar. de *usur. quest. 29.* quia cum hoc privilegium marito concedatur, quia sustinet onera matrimonii, & hæc æqualitas desit in ejus cessionario, cessare debet privilegium, *l. cum patronus 29. ff. de legat. 2. l. quia tale. ff. solut. matrim.* pluribus exornat Larea *decis. 31. à num. 20.* Et hac etiam interpretatione admittâ varias hujus textus ampliationes adducunt circa dotem pro moniali promissam, nec solutam; & circa viduam, cui dos restituta non est debito tempore ab hæredibus mariti: quem casum amplectitur Noguierol. *dict. alleg. 17.* sed non audeat admittere Tapia *2. tom. catena moral. lib. 5. q. 17. art. 10.* quos & alios casus examinant, & exponunt Olea, Gibalinus & Sesse *ubi supra*, Leochar. *dict. quest. 20.*

## CAPVT XVII.

Idem Episcopo a Bononien.

Michaël laicus suam nobis querimoniam destinavit, quòd N. & quidam alij Bon. ciues multa extorserunt ab eodem, & à patre suo, cujus hæres existit, nomine usurarum. Et infra: Attentius provisorus, ne auctoritate nostra in negotio eodem procedas, nisi dictus conquerens restituerit, vel adhuc restituat si quas aliquando ipse, vel pater ejus extorsit usuras.

<sup>a</sup> **B**ononiensis.) Ita etiam legitur in quarta col-

lectione, *sub hoc tit. cap. 2.* De Bononiensi Ecclesia egi *in cap. 17.* de foro competens. & textum hunc exposui supra *in cap. quia frustra.*

## CAPUT VIII.

Idem in Concilio <sup>a</sup> generali.

**Q**uanto amplius Christiana religio ab exactione compellitur usurarum, tanto gravius super his Judæorum perfidia insolescit, ita quod brevi tempore Christianorum exhauriuntur <sup>b</sup> facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne tenaciter aggraventur, synodali decreto statuimus, ut si de cætero quoquam prætatu Judæi à Christianis <sup>c</sup> graves, & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Unde Christiani, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellantur ab eorum commerciis abstinere. Præcipimus autem, & injungimus, ut propter hoc non sint, <sup>d</sup> Christianis infesti, sed potius à tanto gravamine studeant prohibere Judæos: ac eadem pœna Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesiis <sup>e</sup> pro decimis, & <sup>f</sup> oblationibus debitis, quæ Christiani de domibus aliis percipere consueverint antequam ad Judæos quoquo titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes.

## NOTÆ.

I. <sup>a</sup> **G**enerali.) Lateranensi videlicet celebrato sub Innoc. III. ubi *cap. 67.* reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. final.* de quo Concilio nonnulla notavi *in cap. 1. de summa Trinit.*

<sup>b</sup> *Facultates.*) Ut variis exemplis, & rationibus probat Majolus *dier. canonic. colloq. 1. de perfid. Judæorum.*

<sup>c</sup> *Graves immoderate (sve.)* Hæc verba exposui *in cap. post 12. hoc tit.*

2. <sup>d</sup> *Abstinere.*) Et ita excommunicatio hæc non

in ipsos Judæos, sed potius in Christianos cum eis communicantes imponitur, juxta tradita *in cap. 2. de Judeis.*

<sup>e</sup> *Decimis.*) Hanc partem de decimis prædialibus solvendis à Judæis, exposui *in cap. de terris, de decimis.*

<sup>f</sup> *Oblationibus.*) Quas ex præcepto Catholici plerumque facere tenentur ut probavi *in can. 28. Concilii Illiber.* Unde cum ratione prædii, vel domus Christiani oblationes faciunt pro alimonia parochi, etiam Judæi in eis domibus commorantes, tanquam ad debitum reale tenentur oblationes facere, juxta tradita *in dist. cap. de terris.*

## CAPUT IX.

Gregorius IX. <sup>a</sup> Fratri R.

**N**aviganti, vel eunti ad <sup>b</sup> nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius non est censendus. <sup>c</sup> Ille quoque qui dat X. solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, vel minus solutionis tempore fuerint valitura, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione <sup>d</sup> hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius, quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.

## NOTÆ.

I. <sup>a</sup> **F**ratri R.) Ita legitur in hac sexta collectione; & cum Registro epistolarum Greg. IX. eareamus, agnoscere non possumus cui fratri R. in præsentem rescribatur.

<sup>b</sup> *Nundinas.*) Nundinæ quasi Novendinæ, à non odie dictæ sunt, eo quod nonis quibusque diebus plebs in urbem conveniret emendi, vendendique causâ. Columella *lib. 1. de re rustic.* Macrobius *lib. 1. satur. cap. 16.* Illustrat earum originem repetens Gibalinus *de negot. rom. 1. lib. 2. cap. 3. art. 2.* Nundinæ ergo sunt publici mercatus, quo-

rum libertas in eo cernitur, tum ne conveniantur nundinatores alicujus debiti causâ, *l. unic. Cod. de nund.* tum ne vectigalibus onerentur, *l. 1. Cod. de veteranis, novel. Valentin. & Marc. de siliquar. exalt.* Nundinas aliquo in loco ponere sine Principis, vel Senatus autoritate jure civili non licebat, *l. 1. de nundinis:* & à Senatu hoc jus plerumque impetrari testis est Plinius *in epist. ad Valerianum, lib. 5. epist. 4.* Solers vir Prætorius à Senatu petiit, ut sibi institueret in agris suis nundinas permitteretur. Atque ita Claudium Imperatorem, et si legibus solutum, jus nundinarum in sua prædia à Consulibus petiisse, refert Tranquil. *in Claudio.*

cap. 12.

cap. 12. *Jus nundinarum in privata pradia à Consulibus petiit.* Probat Alteserra de *Ducibus lib. 2. c. 14.* & de nundinarum usu agunt Petrus Gregor *lib. 25. syntag. c. 3.* Alciatus *lib. 4. disput. c. 8.* Olvaldus *lib. 17. Donel. cap. 14. littera L. & lib. 24. cap. 7. littera Z.* Aneas Robertus *lib. 2. rerum judic. cap. 16.* Narbona *in l. 10. tit. 20. lib. 3. recopit. glos. 1. & 2.* Castillo de *tertiis cap. 41. num. 96.* Scaccia de *commerciis §. 2. glos. 4. per tot.* Camil. Borell. de *prestantia Regu cap. 46.* Petrus Barbosa *in l. heres, ff. de judiciis, Gaito de credit. tit. 7. cap. 2. num. 2181.* Molfes. de *contract. tract. 12. cap. 7. respon. 7.* alii congesti à Barbosa *ad tit. Cod. de nundin.* Quid autem per ea verba, *nundinas, id est epulas, velut Ulpianus in l. cum societas 69. ff. pro socio, exponunt Gutherus de offic. domus Augusti. lib. 1. cap. 13. Forner. lib. 13. rer. quotid. cap. 28.* Wisemheraldus *disput. 4. de V. S. & disput. 38.* Desiderius Heroldus *lib. unic. emend. cap. 4.* Salmasius *ad jus Atticum, cap. 5. Valeron in animadvers. jur. cap. 8.*

2. *c Ille quoque.*) In hoc versiculo definitur alius casus diversus à priore, videlicet utrum usuram committat qui anticipatâ solutione emit merces minori pretio quam futuro tempore sunt valituras. Circa quod dubium tres casus sunt distinguendi. Primus est cum emo à te triticum colligendum mense futuro Augusto, pretio duodecim regalium propter anticipatam solutionem; quod pretium est minus iusto, quo tunc aestimatur triticum. Secundus est cum triticum emitur eo pretio, quo tunc valiturum est, pretio anticipato pro necessaria venditione. Tertius est cum emo à te triticum colligendum mense Augusto pretio 12. drachmarum, cum dubium est, an triticum eo mense plus, vel minus valiturum sit. Et primo casu certum est, usuram committi, cum ob mutuum palliatum ex anticipata solutione emptor lucrum consequatur. Secundo vero casu etiam patet usuram non committi, cum pretii anticipatio tantum inducat necessitatem vendendi triticum mense Augusto pretio currenti. Tertio casu similiter usura non committitur, ex presenti textu, & traditis supra in cap. in civitate. Nam est taxetur pretium ob anticipatam solutionem, tamen cum dubium est, an plus, minusve triticum valiturum sit, æqualis conditio est, tam emptoris, quam venditoris, ut dixi in cap. in civitate, & probat Araujo in *qq. moral. disput. 1. de statu civili, quest. 1. dub. 2.*

d *Ratione hujus dubii.*) Tertiam hanc partem presentis textus exposui supra in cap. in civitate, hoc ite

## COMMENTARIUM.

3. *EX* hoc textu communiter sequens deducitur assertio: *Usurarius censendus est qui à debitore recipit aliquid ultra sortem principalem, etiamsi suscipiat in se periculum.* Non est alia juris decisio, quâ probari possit præfens assertio; eam tamen illustrant Lupus, Canisius, & Binsfeldius in commentario ad hunc textum, Araujo in *qq. moral. disput. de statu civili, q. 1.* Petrus Greg. *lib. 3. partit. tit. 5. cap. 3. 2. & de usur. lib. 2. cap. 5. nu. 7.* Molina *tract. 2. de just. disp. 318.* Lessius *lib. 2. eod. tract. cap. 20. num. 116.* Canisius de *usur. cap. 4. num. 2.* Guibert. *Constan. qq. jur. c. 1. num. 12.* pluribus relatis Leothardus de *usur. q. 23. per tot.* Gibalinus *eod. tract. lib. 4. cap. 4. art. 3. per tot.* Prado *tom. 2. Theol. mor. cap. 27. quest. 3. §. 2.*

Sed pro dubitandi ratione in præfentem assertionem ita infurgo. In præfenti casu periculi susceptio pretium & æstimationem recipit, *l. 5. ff. de nautico fœnore.* Unde quia contra naturam contractus creditor in pecunia trajectitia periculum suscipit, receptum fuit jure civili nauticum fœnus, ut constat *ex l. 1. l. in nautico, l. nihil, l. periculi, eod. tit. l. eos, Cod. de usur.* Harmenopolus *lib. 3. prompt. tit. 7. l. qui Rome 122. §. 1. ff. de V. O.* notarunt Sarmientus *lib. 7. select. cap. 2. nu. 6.* Padilla *in l. 2. num. 25. Cod. de rescind. Covart. lib. 3. variat. cap. 2. nu. 5.* Quâ ratione etiam docetur in *l. ex hoc jure, §. Labeo, ff. de donat. & in l. si remunerandi, §. magnus, ff. mandati,* licere fidejussori pretium accipere pro periculo, cui se exponit, solvendi pro reo principali. Igitur qui periculum suscipit in pecunia mutuo data trajectitia, aliquid recipere valet. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam contractus æssurationis, in quo quis suscipit in se periculum mercis, pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ de loco ad locum, mari vel terrâ vehuntur, & transportantur, taliter ut pro justa mercede, si quælibet res pereat, ad ejus æstimationem teneatur ratione suscepti periculi, omni jure licitus est. *l. in navem, ff. locati,* quia continet rationem utilitatis, & justitiæ commutativæ. Igitur creditor qui mutuum pecuniam dedit, & ejus periculum in se suscepit, iustè pro eo pretium accipit.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio; pro cujus expositione scire oportet, fœnus nauticum, quod etiam matrimonium appellatur in *l. 6. ff. de nautico fœnore,* percipi ex pecunia trajectitia, quæ merè trajecturo datur ea conditione, ut salvâ navi appulsâ, restitatur unâ cum grandi fœnore; navi verò pereunte naufragio factò, tum fors, tum lucrum, & omnis usura creditori periret: atque ita cum in communi fœnore fors debitoris periculo sit, in maritimo periculo creditoris existit. Pecunia hæc trajectitia dicitur forensi consuetudine, quia quæcunque pecunia trans mare exportatur, trajici dicitur in *l. 3. ff. ad leg. Jul. pecul. tutores 39. §. patruus, ff. de administr. tut. & fœnus hoc jam olim à Græcis cognitum ab eis ad Romanos derivatum fuisse, ex Pollice, Demosthene, & Laertio probat Gibalin. de *usur. lib. 2. cap. 4. art. 3.* Trajectitia hæc pecunia dabatur periculo creditoris duobus modis, nempe vel in totum navigationis tempus, vel in certam tantum diem, quâ elapsâ periculum amplius non spectabat ad creditorem, & nauticæ usuræ cessabant, ac communes currere incipiebant, *l. 4. & 6. ff. de nautico fœnore, l. 7. Cod. eod. tit.* Quare in cautione exprimebatur numerus dierum, quorum periculum subire vellent creditor, quibus elapsis, licet navigatio nondum finita fuisset, ipse amplius periculum non subiret. Exemplum extat in *l. qui Roma 122. §. Callimachus ff. de V. O.* quam perdoctè explicant Samuel Pentus *ad jus Atticum fol. 409.* D. Joannes Ramos in *analect. ad l. de precatio, ff. ad leg. Rhodiam, Gibalinus ubi supra.* Periculum autem hoc, quod contra rationem subibat creditor, respiciebat tantum naufragium: quare fœnus hoc plerunque exercebant ipsi navicularii, & navium exercitores, ut constat *ex dist. l. 6. ff. de nautico fœnore, l. ult. ff. nauta, caupones:* nam si à piraticis, aut hostibus, incendiove damnus accideret, nisi expressè de eo conventum fuisset, ad debitorem periculum pertinebat, ut etiam si ex jactura communi vectorum consensu facta obveniret; & denique, si quid damni debitor suâ culpâ sibi accersivisset,*

H h 4

5. De nautico fœnore.



fuisset, veluti si illicitas merces exportaret, quas fiscus pro jure suo occuparet, l. 3. ff. de nautico fœnore, l. 11. §. Dominus, ff. de Publicanis. Tandem genus hoc fœnoris nautici suas peculiare leges habebat. Prima, ut navi salvâ appulsâ, cessanteque periculo, usurâ nauticâ quiescerent, & communes tantum currerent, l. 6. §. final. ff. de nautico fœnore, l. 1. Cod. eod. tit. Secunda, ut liceret debitori mittere servum, qui comitaretur pecuniam, eamque peteret eo die, quo debitor se soluturum promiserat, dicto §. Callimachus. l. irajectitia ff. de O. & A. l. 4. ff. de naut. fœnor. Illustrat. Gibal. d. art. 3. Tertia, & specialior lex hujus fœnoris erat, ut solo nudo pacto promissum absque stipulatione civiliter deberetur, l. in quibusdam, ff. de nautico fœnore, propter periculi susceptionem, ut probant plures, quos refert, & sequitur Stracca de assecurat. num. 24.

6. Deinde sciendum est, usuras nautici fœnoris non semper easdem fuisse, immo pro diversitate navigationum, & magnitudine periculorum, pro temporis tempestate, in qua suscipiebantur, varietate erant, ut probat Salmalius de modo usurarum, cap. 5. & ideo ait Paulus lib. 2. sentent. tit. 4. Trajectitia pecunia propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras capere potest. Quæ verba ita exponit Anianus, in quantas convenerit, hanc pecuniam dare creditor potest. Probat Duarenus lib. 2. animadv. cap. 3. Lupus comment. 1. de usur. §. 3. num. 32. Cujac. in novel. 106. l. fin. Quare Justinianus ne in infinitum excreceret usura nautica, eam ad centesimam restrinxit, in l. eos 26. §. penult. Cod. de usur. in trajectitiis autem contractibus, vel specierum fœnori dationibus, usque ad centesimam tantummodo statuit licere stipulari, neque eam excedere, licet veteribus legibus hoc esset concessum: unde in l. nihil interest, §. 1. ff. de naut. fœnore, ea verba: Ad finem centesima, non ultra duplum debetur; Triboniani esse respicientis ad dictam Justiniani constitutionem, voluit Cujacius in notis ad Paulum ubi supra. Sed hæc emendatio illi postea displicuit lib. 5. obs. cap. 38. Orhomano lib. 5. obs. cap. 17. de cujus legis interpretatione videndi sunt Molineus de usur. qu. 4. Strac. de assecuratione, num. 17. Gibalinus dict. art. 3. Postea tamen Justinianus majorem usuram permisit in novella 106. quæ deinde abrogata fuit in novel. 120. de quarum constitutionum sensu nervosè contendit Salmalius cap. 9. de modo usurarum, cum Molineo in 99. de usuris legalibus, num. 59. Sed perveniamus jam ad injustitiam hujus nautici fœnoris. Et quidem ejus iniquitatem agnoverunt Plutarch. in Catone Majore, & Menisopus apud Lactantium in ejus vita. Primò enim injustitia ejus apparet, quia supponit usuras communes, ultra quas pro periculi susceptione aliquid addebatur. Secundò quia cum hæc quantitas taxata non esset, in immensum excrecebat. Deinde quia cum periculum rarum esset, tamen fœnerator pro illo ad libitum usuras exigebat. Deinde quia creditor usuris communibus non contentus obstrungebat ad usuras has promittendas, & simul pœnam pro pecunia non soluta l. ult. ff. de nautico fœnore. Tandem quia cum hi fœneratores navim, & merces illi impositas obligatas pignori pro sorte sua, & usuris haberent, ac proinde suæ securitati jam providebant, quo jure pro illo periculo tam amplas usuras exigere poterant?

7. *Varia*

His suppositis ut ad rationem præsentis constitutionis perveniamus, sciendum est, textum hunc

variè à Doctoribus interpretari. Et primò Molineus de usur. quest. 3. num. 95. asserit Gregorium in præsentem non improbare nauticum fœnus, sed tantum cum usurâ promittuntur pro periculo dubio, aut nullo, & ita suppositio, cujus prætextu fœneratores suam iniquitatem tegebant. Verùm hanc explicationem rejciunt Covarr. libr. 3. var. cap. 2. num. 5. Lupus comment. 3. de usur. num. 1. Stracca de assecur. num. 27. nam Gregorius expressè agit de eo, qui in se suscipit periculum navigationis; & de eo, qui proficiscitur ad nundinas, ubi latronum periculum, & aliorum obvium est. Quare solet Princeps lege sua illuc convenientibus securitatem præstare, l. 2. ff. de nundinis, l. unie. Cod. eod. tit. Aliter Hadrianus in 4. tract. de usur. cap. Occurrunt, exponit Gregorius, & ait, cum loqui de pretio injusto, quod excedit estimationem periculi suscepti. Verùm hæc sententia convincitur à Covarr. Lupo, & Strac. ubi supra, facile ex illis verbis: Aliquid ultra sortem. In quibus de modicis usuris agitur. Alii docuerunt, Gregorium in præsentem agere de eo fœneratore, qui cogit debitorem contractum illum assecurationis celebrare, quia aliter mutuaturus non erat, nisi suscipiendo periculum sortis, & ita ob illud immodicas usuras exigendo. Ita Antoninus 2. part. cap. 7. §. 21. tit. 7. Conradus de contract. quest. 39. conclus. 1. Sylvest. verbo Usura. §. 35. Cajetanus eod. verbo, casu 8. Navarrus in manuali, cap. 17. num. 21. Lupus de usur. comment. 3. §. 1. nu. 3. Salas eod. tract. dub. 23. num. 7. Binsfeldius in præsentem, quest. 1. conclus. 2. Palacios Rubios in cap. per vestras 5. notab. 6. §. 9. num. 12. Verùm facile hæc opinio refellitur ex generalitate, quâ utitur Pontifex, nullâ factâ mentione talis necessitatis contractus assecurationis. Alii tandem censuerunt, in præsentem deesse negationem, legendumque esse, usurarius non est censendus. Ita docuerunt Gudelinus de jure novissimo lib. 3. cap. 3. Joannes Bernacius lib. 2. de utilit. legend. hist. cap. 15. Narbona in l. 15. gloss. 2. num. 20. tit. 20. lib. 3. recopil. Layman lib. 3. summa, tract. 4. cap. 16. nu. 13. Castropalao tract. 32. disp. 4. pñt. 18. Fachineus lib. 2. contro. cap. 48. Barbosa in præsentem, nu. 2. quos sequitur Gibalin. lib. 2. de usur. c. 4. art. 3. perpensa vi dictionis, quoque, quâ utitur Pontifex in secundo casu, ubi docet, usuram non committi: & ita videtur in primo casu idem asseruisse, cum dictio quoque sit implicitiva prioris casus, l. 3. §. 1. & §. in amittenda, ff. de acquir. possess. l. qui legatorum, §. filium quoque, ff. pro herede. Verùm cum huic sententiæ repugnet omnium codicum fides, cum in nullo negativè legatur, non auisim ita emendare Gregorium, præcipuè cum eius sententia aliter explicari possit.

His ergo interpretationibus omisissis, credo eam fuisse Gregorii IX. mentem in præsentem, ut cum tempore mutui usurâ promittuntur ob periculum pecuniæ trajectitiæ susceptum à fœneratore, contractus usurarius censetur, quia circumstantia illa periculi à creditore suscepti non impedit, quin stipulatio majoris quantitatis, quam in mutuo numeratum est, fœneratitia sit, & fœnus continueat; quia in contractum mutui, de quo agimus, vitium usurâ non purgatur, licet ex pacto periculum ad creditorem pertineat, ut probant Albericus in l. jubemus, Cod. de sacros. Eccles. Decius consil. 123. num. 1. Alex. lib. 4. consil. 121. Corneus lib. 4. consil. 1. i. Leothardus de usur. quest. 23. num. 17. Sed si per se, & simpliciter mutuo celebrato, postea agatur de assecuratione illius pecuniæ trajectitiæ,

tit. tunc propter periculum quod in se suscipit creditor, rectè potest aliquid accipere, dum tamen non obliget ipsum debitorem ad contractum illum assecurationis celebrandum; quia tunc usura committitur, siquidem usurarius contractus censetur ille, in quo debitor ultra sortem obstringitur aliquid emere, vendere, locare, etiam iusto pretio, quod facere minimè tenebatur. Covar. lib. 3. var. c. 2. nu. 5. Leothardus dist. quest. 23. n. 6. Vnde existimo Gregorium in presenti improbare nauticum fœnus prout iure civili receptum erat, quia simul cum ipso mutuo usura promittebatur, et si periculi subeundi facta mentione; non autem improbare Gregorium contractum assecurationis, cum per se, & separatim celebratur, nulla ratione habita mutui, sed periculi suscipiendi: & ita presenti constitutione sublata sunt usurae palliatae, quae facile committebantur, eo quod multi non invenientes gratuitos mutuatores, qui sine lucro vellent sibi mutuari, fingebant se velle trajicere pecuniam mutuam in alias provincias longin-

quas, & petebant à mutuantè assecurationem pro certo pretio: unde deducit Gregorius prudentissimè praesumptionem, quod iste sic mutuantem pecuniam trajiciendam per loca periculosa, suscipiendo periculum in se ob aliquod pretium, est censendus usurarius: quia praesumitur quod vi mutui vult illud pretium extorquere absque necessitate assecurationis; ideoque fœtan Pontifex non dixit, *Est usurarius*; sed, *Censendus est usurarius*. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam fateor ob periculum pecuniae trajiciendae aliquid recipi posse, sed extra mutuum, ratione periculi, & alterius contractus seorsim celebrati; nam aliàs fœnus nauticum fœnus est, & mutui ratione usuras recipit, quod sacris canonibus omnino improbatum; quare etiam subducta hac Gregorij constitutione, puto nauticum fœnus, & maritimas usuras esse prohibitas, & contineri sub generali illa prohibitione, quae omnis usura iure divino, & Pontificio prohibita est, ut si deficeret hæc constitutio, adhuc nefas esset fœnus nauticum exercere,

## TITULUS XX.

### De crimine falsi.

#### CAPUT I.

Augustinus.

Falsidicus testis tribus personis est obnoxius; primum b Deo, cujus praesentiam contemnit; inde c judici, quem mentiendo fallit; postremò innocenti, quem falso testimonio d laedit. Vterque e reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.

#### NOTÆ

**A**ugustinus. ] Ita etiam legitur in prima collectione. Sub hoc tit. cap. 1. & ex eodem Sancto textus hic citatur à Burchardo lib. 16. Decreti, cap. 12. Gratiano in cap. quisquis 80. i. 1. quest. 3. Sed inter opera Divi Augustini non reperiuntur verba in presenti relata: extant tamen apud D. Isidorum lib. 3. sentent. cap. 55. de testibus, ut iam notantur Ant. August. in presenti; Aldrete in antiquit. Hispan. lib. 2. cap. 11. Integrum caput D. Isidori transtulit, ut facilius praesens textus intelligatur. Et si mendacii oratoris dicitur, quanto magis si venale quaritur: neq; enim decet multiplex conventus falsorum, si tanta praesentia sit nummorum. Testis falsidicus tribus est personis obnoxius. Primum Deo, quem perjurando contemnit; secundo judici, quem mentiendo fallit; postremò innocenti, quem falso testimonio laedit. Unum pene crimen habent, & qui falsitatem promittit, & qui supprimit veritatem: quia ille obesse vult, & iste prodesse non vult. Pejor est testis, qui laedit, quam qui praestare non vult. Nam ille malignus est, iste inutilis. Testibus falsis conjunctis tarde mendacii falsitas reperitur. Quod si separati fuerint, examine judicantis citò manifestantur. Nam sicut in unitate pravorum grandis est fortitudo, ita in separatione major infirmitas. Fraudulencia citò reprehenditur mendacium; falsidicorum enim testimonium

sibi non convenit. Iniquus testis, quamvis sua falsitate corpori, rebusque impediat, animo tamen nihil damni confert. Erit autem ille apud Deum condemnatus, qui adversus innocentem falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non solum ille reus est, qui falsum de alio profert; sed & is, qui citò aurem criminibus praebet: qui meru potestatis veritatem occultat, eiusdem veritatis iracundiam sibi caelitus provocat: quia plus pertimescit hominem, quam divinam trepidat indignationem. Beatus cuius testimonio innocens ab scelere obiecto purgatur: impius cuius proditione etiam iniquus perimitur. Neque enim decet Christianum morti obnoxium prodere, & ad effundendum sanguinem infelicitum vocem testificationis praebere. Sermo enim justi hominis tantum ad ministerium debet esse salutis; ira enim indignationis, & tribulationis, & immisionis per angelos malos. In hoc capite agitur de testibus falsis, de quibus, eorumque pœnis egi in can. 74. Concilij Illiber.

**b** Deo. ] qui praesens est omnibus actibus humanis: quare ob peccatum ita perpetratum illi poenitentia injungitur. Facit lex ultima in fine, tit. 12. par. 3.

**c** Iudici. ] Vnde ab eo extraordinariè puniri potest lite pendente, l. nullum, Cod. de testib. causâ verò finitâ ad instantiam accusatoris: & si aliàs sit incompetens, ex eo, quod testis falsus deliquit coram ipso falsum deponendo, sit competens; secus